Scriptores de sudore Anglico superstites / collegit C.G. Gruner ; Post mortem auctoris adornavit et edidit Henricus Haeser.

Contributors

Gruner, Christian Gottfried, 1744-1815 (Compiler)
Haeser, Heinrich, 1811-1884
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Jena : F. Maukius, 1847.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/vjfg62kg

Provider


Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org



Vergriffen!

b. 1

A3.

(0) D2 46 b-1 b1



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b28038071

SCRIPTORES

DE

SUDORE ANGLICO

SUPERSTITES.

COLLEGIT

CHRISTIANUS GOTTFRIDUS GRUNER,

MED. ET CHIR. DOCTOR, PROFESSOR MEDICINAE IN UNIVERSITATE LITERARUM JENENSI PUBLICUS ORDINARIUS etc.

POST MORTEM AUCTORIS

ADORNAVIT ET EDIDIT

HENRICUS HAESER,

MED. ET CHIR. DOCTOR, PROFESSOR MEDICINAE IN UNIVERSITATE LITERARUM JENENSI ORDINARIUS HONORARIUS etc.

COLLEGE OF PHYSICIANS

JENAE,

SUMTIBUS FRIDERICI MAUKII.

1847.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS	61
ACCN.	15018
SOURCE	
DATE	

DIVIS

GRUNERI

MANIBUS.

LECTORIBUS BENEVOLIS EDITOR.

Quod jam antea saepius excitatum mihi fuerat desiderium operis manuscripti de sudore anglico a Grunero, viro cum doctrinae amplitudine tum studiorum sollertia atque sinceritate clarissimo, collecti, post auctoris obitum penitus, ut videbatur, amissi, atque, quod quidem par erat ex simili aliorum librorum, quos Grunerus ut foras ederet praeparaverat, infortunio concludere, prorsus deleti: id denuo commotum est, cum studia, quibus per aliquod tempus incubui, historico-medica, ad investigandas sudoris britannici propagationes me perducerent. Sciebam enim, virum doctissimum in elaboratione ejus operis, qua inde ab anno 1802 usque ad annum 1813 occupatus fuit [1]), omnem qua fulgebat eruditionem atque diligentiam quasi prodegisse atque ejus conscribendi causa per omnem fere Europae ambitum virorum historiae medicae amantium industriam excitasse. Novas ita investigationes, ut libri copiam mihi facerem, indefessus institui; nec spem, jam fere amissam, fefellit eventus. Denique enim mihi contigit, opus fere integrum et incolume detegere, atque ex tenebris, quibus per annos fere triginta obrutum fuit, protrahere meique juris facere. Quanto commotus gaudio fuerim de felicissimo casu ii judicent quos meo similis tenet historiae medicae amor. Mox cognovi, de quo nunquam dubitaveram, summum operis pretium, nec multum amicorum exhortationibus meisque restiti votis, quae ut in vulgus ederem librum atque ita Gruneri memoriam renovarem, me compellarunt. Nec tamen labore, interdum taedio quoque, res caruit. Cum enim nuper J. F. C. Heckerus, prae-

---

1) Literis cel. Mansae, Hafniensis, ad me scriptis certior factus sum, Grunerum jam anno 1802 sudoris anglici causa Badenium, Hafniensem, adiisse.

clarissimus pathologiae historicae cultor, librum de sudore anglico egregium edidisset, summa cura opus erat, ne Iliadem post Homerum nonnullis composuisse viderer.

Duplici tamen ratione me excusatum iri speravi. Primo, quod apud Grunerum complures iique gravissimi legerentur de sudore scriptores, qui ipsam Heckeri sollertiam fugerant, secundo, quod aliquot addere mihi licuit et Grunero et Heckero incognitos, ita ut fere completum exhibere mihi viderer scriptorum de sudore epidemico codicem. — Sed gravius fuit quod accedit, judicare, quid reservandum esset ex Gruneri opere manuscripto, quid omittendum. Complures enim in scriptorum numerum Grunerus receperat cum monographos tum fragmentorum auctores eo honore minime dignos. Ex illis sunt libri a Gratarolo, Wiero, Pnollamero, Sprembergio, Wedelio conscripti, a me ejecti, cum quia aetate posteriores, tum quia exigui vel nullius sunt pretii [2]). Ex his quamplurimos neglexi. Tanto enim ardebat

---

2) P. de Abano De venenis eorumque remediis, Guil. Grataroli Consilium de praeservatione a venenis. Herm. Comitis a Nuenare De sudatoria febri, curatio sudoris anglici. Joach. Schilleri Comment. de peste britannica; omnia opera Guil. Grataroli, Bas. 1531. 8. Alia editio est s. l. et a. (Bibl. Rivin. Vindobonens. caes. et Norimbergens. civica.) — Insunt (inde a p. 87 — 97.) — „Curationes sudoris anglici expertae in Germania, Anglia et ubique a viris doctissimis medicis;“ versiones quoque fragmentorum ex Petro Wildio, Klumpio consilioque Francofurtano. —

Artzney-Buch: Von etlichen biss anher vnbekandten vnnd vnbeschriebenen Kranckheiten. Durch Johann Weyern selbst verfertigt vndd in Teutsche Sprach verbracht. Jetzt aber auffs neuw gebessert vnd vermehret. Franckfurt am Mayn 1580. 8. — 1583. 8. — Lips. 1693. 1696. — Locus de sudore anglico legitur in editione a. 1580 inde a p. 84b. usque ad pag. 94b. —

Ein New Consilium von der Pestilentz vnd Englischen Schweyss, gezogen auss dem Hochgelärten vnd weitberümbten Petro Droeto, Med. Paris. vnd andern Hochgelärten Physicis — durch Johannem Pnollamer, Art. et Med. Doct. d. Z. Bamberg. Medicum. Gedruckt zu Bamberg durch Anthon Horiz anno partus virginei 1591. 4. (Bibl. Friburgensis Brisgov.) Particula de sudore anglico legitur cap. 19. —

Kurtzer Bericht von Zweyerley Geschlecht der Pestilentzischen Febern: Eines, Das sich mit Beulen, Mackeln oder Geschwüren erzeigt. Das Ander, so man die Schweysssucht nennet. Vnd was sich Jderman darinnen vorhalten sol. Durch

Grunerus colligendi studio, ut omnia congereret, quae saltem sudoris britannici vocem praeberent. Facile credas, quod ipse asserit, decem millia volumina ea causa a viro ferrea quadam assiduitate instructo fuisse pervoluta. Tamen non dubitavi, ea tantum fragmenta recipere, quae historici sunt pretii, omissis reliquis, quibus nulla vel per se, vel per fontes, e quibus fluxerunt, est gravitas. Hoc modo factum est, ut ex fragmentis historicis, quorum in Gruneri manuscripto leguntur 227 tantum 57, ex fragmentis vero medicis 130 tantum 12 reservaverim. — Ordinem vero, quo Grunerus in collocandis scriptoribus et fragmentis usus est, pervertere nolui. Caeterum monographorum editiones originales, quibus potiri mihi licuit, accurate denuo comparavi, ut textum exhiberem quam sincerissimum et castissimum.

Maximopere vero dolendum, quod sicut Grunero et Heckero mihi quoque non contigerit detegere libros de sudore anglico a Joachimo Roelants, Machliniensi, Joh. Benedicto et Hieronymo Aurimontano, Cracoviensibus, editos [3]).

Multo etiam plura omisi ex Gruneri annotationibus, incredibili quidem doctrina eximiis, tamen copiosius haud raro quam elegantius conscriptis et a hodierno rei medicae statu saepe alienis.

Johann Spremberg, D. Physicum der Stadt Bresslaw gestellet. 1568. 4. (Grunerus addit: „Bibl. Gisnensis.“ in ea vero bibliotheca liber teste cel. Nebelio non reperitur.) —

Georg. Wolfg. Wedel, Dissertatio de sudore anglico. Jenae, 1697. 4.

3) Inscriptiones eorum librorum perhibentur haec:

Joachimi Rolandi (Roelants), De novo morbo sudoris, quem anglicum vocant, anno 1529 grassantis. S. l. et a. 4.

Joh. Benedictus, Regimen de novo et prius Germaniae inaudito morbo, quem passim anglicum sudorem, alii gurgeationem appellant, praeservativum et curativum hujus et cujusvis epidemiae utilissimum. Cracoviae, 1530. 8.

Hieronymus Aurimontanus, Perhorrendae pestis ephemeris, quam falso luem sudatoriam vocant, curandi ratio. Cracov. 1530. 8.

Additur his a Thierfeldero (Additamenta ad H. Haeseri bibliothecam epidemiographicam. Misenae, 1843. 8. p. 19. —: Alexander, Regiment für die new Krankheit, Englische Schweisssucht genannt. Landshut, s. a. 4. — Hic vero liber alibi nusquam commemoratur.

Denique silentio non praeteream, citari a Grunero: „Engelii manuscripta suecica de sudore anglico.“ De his quoque prorsus incertus sum.

At nonnunquam religio me prohibuit, quo minus acerbior essem in adnotationum Grunerianarum censura [4]).

Ex literis ad bibliopolam Lipsiensem a Grunero conscriptis et ex praefatione patet, historiam eum sudoris addere operi voluisse. Ea vero deest, ut videtur, quia inter ipsam libri impressionem (morte auctoris prohibitam [5])) conscribere eam Grunerus constituerat. „Itinerarii“ quoque sudoris (primum anno 1804 Jenae impressi) novam editionem (quae penes me est) addere sibi proposuerat. — Utriusque loco proprio Marte addidi commentationem de sudoris anglici historia atque natura, brevissimam quidem, tamen, ut spero, genuinam, ex ipsis scriptoribus depromtam, nec novis passim adnotationibus prorsus carentem [6]). Plura vero, de natura praesertim morbi, addere nolui, cum quia aliena videbantur a totius operis argumento, tum ne libri ambitus augeretur.

Glossaria denique latina et germanica Grunerus addere operi voluerat. Omisi: non desunt enim libri singulares, omnibus notissimi, unde quibus linguae germanicae, qualis saeculo decimo sexto fuit, cognitio deest, explicationem verborum insolentiorum comparare sibi possunt.

Quibus omnibus factum est, ut uno eoque modico volumine continentur, quae Grunerus duobus voluminibus forma quadrata impressis edere constituerat. Neque tamen credo, nimium damnum operi esse illatum.

Restat, ut viris doctissimis et humanissimis, qui summa liberalitate tam libros, curae ipsorum creditos, quam fragmenta hucusque incognita mecum communicarunt, gratias agam. Imprimis

---

4) Adnotationes auctoris litera G., meas litera H. consignavi.

5) Vita Gruneri a cel. Henschelio, Vratislaviensi, egregie conscripta legitur in ephemeridibus historico-medicis a Jano nomen gerentibus, et ab eodem Henschelio editis. (Vol. I. p. 823. seq.). — Natus est Grunerus Sagani, Silesiae oppido, d. 8. Nov. 1744. Anno 1762 scholae Gorlicensis discipulus, anno 1765 universitatis Lipsiensis civis factus est, theologiam ab initio professus. Anno 1771 inte medicos Vratislavienses receptus, a. 1773, annos 29 natus, professoris Jenensis munus suscepit. Mortuus est Jenae d. 5. Decembris a. 1815.

6) In constituendo ordine chronologico usus sum Ant. Pilgrami Calendario chronologico. Vienn. 1781. 4.

nominandi sunt cell. Heckerus, Prof. Berolinensis, Fuchsius, Prof. Gottingensis, Jungius, bibliothecae Argentoratensis, de Lichtenthaler, bibliothecae regiae Monacensis, Tzschaschelius, bibliothecae Gorlicensis praefecti, Mansa, Hafniensis. — Conjunctissimus quoque Maukius, bibliopola Jenensis, qui sumtum suppeditavit, laude dignus est. Quamvis enim lucri spes vel exigua vel nulla esset, opus tamen a professore Jenensi collectum, ab alio ejusdem academiae doctore editum prodire ex alius urbis officina typographica noluit.

Accipite ergo, lectores benevoli, novum doctrinae sollertiaeque Grunerianae monumentum, gaudemini mecum de tot tantorumque scriptorum ab interitu vindicatione, favete denique editori, ad rem quidem satis difficilem, non tamen prorsus sibi novam accedenti. Valete!

Scripsi in universitate literarum Jenensi,
d. 4. Augusti MDCCCXLVII.

Henricus Haeser.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Solent historiae medicae scriptores, dum artis suae fata ex ordine temporum narrant, varios morbos ut novos hactenusque incognitos nominare inque his potissimum saeculo XV. fere affecto convulsionem cerealem, scorbutum, sudorem anglicum et morbum gallicum esse collocatum inter omnes constat. Neque haec quidem auctorum opinio falsa, nec conjectura improbabilis putanda est. Rem ipsam historici factis, medici literis produnt, sed de horum morborum origine prima, de natura et forma, de causis et curandi ratione apta, inter se acerrime disputant. Quod cum tam certum sit, quam quod certissimum, demirari profecto licet, quid tandem sit, quod ista declaratio hactenus vel omnino spreta et temere neglecta, vel ab omnibus oscitanter habita fuerit. Ne post tria quidem saecula res ab dubiis satis vindicata, vel ad liquidum est perducta. De scorbuti historia conscribenda nemo historicorum serio cogitavit, de morbo gallico rem nondum satis exploratam habemus, etiamsi libelli hinc inde sparsi primo jam tempore in unum corpus congregarentur et editis inediti passim adjicerentur; sudoris anglici memoria nuper a me revocata est [1]). Ego enim, cum in perscrutanda et describendi prima morbi gallici origine totus essem, id mihi inter alia usu venit, ut apud auctores notionem rectam sudoris hujus nullam esse perspicerem, qui nec communitate ac pernicie illi concessisse, nec natura sua medicis pristinis et novis satis perspectus ac cognitus esse videbatur.

1) In „Itinerario sudoris anglici“ et in libello, quo Grunerus scriptorum de sudore anglico editionem indixit. (Jenae 1805.) H.

Corripuit is quidem quinquies Anglos, semel transiit ad exteras nationes et ex Belgis, Germanis, Helvetiis, Prussis, Danis, Suecis permultos miserabiliter perdidit. Etiam ille habuit febris pestitentis formam, sed ejus naturam et indolem ita immutavit, ut inde ab ingressu sudoris epidemici ea et frequentior et symptomatum congerie pejor facta esse crederetur. Fuit ergo iste sudor epidemius morbo gallico ut novitate formae par, sic potentia nocendi fere similis putandus, in eo tamen vere dissimilis, quod cum ille quasi e conspectu hominum dudum discesserit, hic quidem hodieque crebra et voluntaria contagione corpora hominum promiscue contaminet et aegris foedum voluptatis spolium, medicis lucrum, historicis materiam scribendi et disceptandi largissimam praebeat.

Jam vero iste sudor anglicus multa habet et scitu et memoratu digna. Ignota et incognita ejus causa, obscura prima origo est. Historici tantum narrant, inopinum et periodicum mali accessum, medici, ut in re nova fieri solet, relicto mali fonte varie rixantur de natura ejus et loco nosologico, cum intra unum diem aegros fere vel occideret vel ab interitu servaret. Alii cum a typo febris ephemeram sudatoriam, ab loco natali ephemeram britannicam, a vehementia mali pestem britannicam nominant, alii reprobant isthoc pervulgatum nomen, quia febris uno die nata et finita semper benigna sit, haec vero fere maligna et pernicialis intra paucas horas fuerit. Etiam apud medicos aequales tempore habita ea est febris pestilentialis species, quia cum cita summaque debilitate veniebat, eodemque modo commode curari posse credebatur. Mutata medicinae ratione, majores nostri cum sudorem invisum vel ad causum spurium, vel ad febrem putridam retulerunt, sed sine vera mali notitia. Etenim si in demonstrando et explicando decreta pathologica sequamur, qualia tunc in scholis regnabant (id vero in morbo veteri omnino fieri debet), sudor anglicus solos spiritus, id est vires, vehementer affecit, humores minime, ideoque omnis corruptionis expers fuit. Nec ephemera putrida pestilens ex doctrina et ratione medicorum aequalium tempore simul esse ac consistere potuit, cum et natura et notio utriusque longe dissentiat. Nuperi demum medici, de veteris medicinae verbis fere inscii atque curationis ignari, febrem pestilentem cum peste ipsa confuderunt

eaque via rem ex parte dubiam opinione sua et conjectura docta quam maxime obscurasse videntur; alia enim pestis veterum, alia recentiorum est.

Praeter ea iste sudor epidemius fuit fere proprius et domesticus Anglis, per intervalla temporum communis civium omnium, morte crebra insignis, neque vero apud eos vere constitit, qui primus mali hujus fons et origo, qui modus propagationis in lue non contagiosa fuerit. Anglia relicta, anno MDXXIX demum populos proximos et remotos infestavit, ergo et nomen et locum in morbis migrantibus bene meruit, sed hactenus ignorarunt ipsi medici, qua via in aliena regna transferretur; nebulam crassam, foetidam et insolitam in medium attulisse satis fuit.

Quam opinionum inconstantiam et incertam rei rationem cum inter legendum etiam atque etiam animadverterem et medicos vel post tria saecula dubios invenirem, quo loco sudor iste habendus esset, omnem adhibui operam, ut, quantum ejus per me fieri posset, istas tenebras luce sua dissiparem. Comparavi ergo mihi, undecunque id fieri poterat, scripta aequalium et majorum, quae de sudore supererant, deinde versavi quam curiosissime auctores quae in febris variisque pestis generibus describendis occupantur, ne quid nobis deesset, quod argumento illustrando aliquid fecerit, denique volumina historicorum pulverulenta perdiligenter evolvere studui, ut morbo veteri, conjecturis implicito et imperspicuo certior esset a factis et eventis fides. Sic demum improbus labor omnia vicit impedimenta, quaecunque hinc inde operi gravissimo et amplissimo objiciebantur, sic indefesso per annos multos studio et amicorum favore [2]), effectum est, ut perfectam scriptorum superstitum editionem polliceri et simul cursum luis hujus varium ex ipsis actis referre potuerim [3]). Hac enim ratione rei veteri sua fides, morbo

2) In his operis adjutoribus honoris causa prae aliis nominandi sunt inter Germanos viri genere, meritis, doctrina et fama conspicui L. B. de Aretin, Heynius, Blumenbachius, Ferro, Hartenkeilius et Ackermannus, Kühnius, Antonius, Güntherus, Vulpius atque Nebelius, inter Gallos Schweighaeusserus et Coray, inter Suecos Hallenbergius, Hedinus et Dhunbergius cet. quorum quidem suo loco facta est perhonorifica mentio. — G. —

3) In libellis ab initio hujus praefationis nominatis. — H. —

hactenus spreto et temere neglecto suus in nosologia locus in posterum constabit.

Restat, ut, quid ipse in opere amplissimo adornando praestiterim, intelligant omnes, quorum haec scire interest. Multa quidem supersunt de sudore anglico scripta et latina et germanica, quibus medici, qui tunc erant, rem novam et insolitam civibus explicare tentabant, haec vero injuria hominum et longinquitate temporum hodie vel perrara sunt, vel prorsus amissa et in perpetuum perdita. Ego vero boni diribitoris more undequaque talium librorum possessores et bibliothecarum praefectos compellavi, ut, si quos haberent in suis bibliothecis vel tabulariis reconditos mihi describendos benevole committerent, deinde ipse perdiligenter conquisivi, quibus potiri licuit, ordine temporum collocatos sedulo restitui et commentario perpetuo illustravi, voces obscuras et usu obsoletas, cum latinas, tum germanicas aequalium fide instruxi, res scitu dignas, sed novis hominibus non satis claras feci exemplis perspicuas, dubias vero additamentis certas, vetera placita cum maxime confirmavi auctoritate doctorum qui tempore pares vel proximi fuerant, denique res memorabiles indice copiosissimo complexus sum ut si qui vellent singula per otium repetere, abunde haberent scientiae curiositatisque praesidia. Neque in hisce finibus atque cancellis me continui, sed boni editoris jure usus veterem temporum cultum et habitum, suam cuique scriptori orationem propriam reliqui, ne nativa literarum specie temere perdita, libellus novus, mutilus et quasi decurtatus esse crederetur, cum eo tamen, ut compendia scripturae et implicitas literarum notas tollerem, incisa et membra passim restituerem, interpositiones sedulo caverem, locos auctorum pro more saeculi vel omissos vel leviter memoratos operose supplerem, clausulas et interpuncta verborum probe adjicienda putarem. Qua quidem opera permolesta et taediosa, si quid video, officio critici ac interpretis omnino satisfecisse et posterorum utilitati bene prospexisse mihi videor. Habebunt certe lectores meo studio per annos indefesso meaque industria copiam librorum de sudore anglico perfectissimam, unde tanquam ab promo condo capiant fructus uberrimos, habebunt etiam nosologiae conditores ab supellectili nostra largam scribendi, disputandi ordinandique materiam. Praeterea hoc

mihi curae fuit, ut vetera curandi praecepta et medicamenta quam brevissime explicarem seclusis divitiarum doctarum lautitiis, ne quis inter legendum alicubi haereret dubio. Sunt fortasse in medicis aliqui, qui diaetetices, pharmaceutices et therapeutices veteris explicationem uberiorem desiderent, hi vero aut nesciunt aut se nescire simulant, quam parum istae copiae per se utilissimae huic operi jam satis amplo conveniant; sunt alii, qui malint excerpta, quam ipsa auctorum volumina integra. Hi vero velim meminerint, conservationem libellorum superstitum deberi sciendi cupidis atque posteris, ne per incuriam vel socordiam nostram omnino pereant, contractionem rerum memorabilium et scripturae compendia displicere multis et a consilio nostro truncati operis editionem esse alienam. Cur enim ego curiosis plenam et tanto labore comparatam morbi hujus imaginem in perpetuum invideam. Aut malus profecto augur sum, aut bene vereor, ne si quid mihi acciderit, alius exsurgat editor, qui permolesta laboris taedia iterum existimet esse devoranda.

Neque in hoc ipso loco, tanquam limine operis, mihi subsistendum esse censui, sed ipsam sudoris anglici historiam ex actis quam diligentissime curavi conscribendam. Per plures enim annos historicorum et medicorum scripta manu diurna nocturnaque versaveram, et, si quis locus esset memorabilis, qui ad rem perobscuram et dubiam feliciter expediendam aliquid valere vel facere videretur, quam accuratissime descripseram. Hinc sensim sensimque comparata quasique convasata historicorum et medicorum fragmenta, quae in operis amplissimi calce ad verbum continentur, ideoque id egi quam maxime, ut per otium nostrum alii scirent atque intelligerent scitu memoratuque digna. Ut umbra corpori propria esse solet, sic ista operosa scriptorum moles operi magno est lubenter a nobis commissa et bona fide adjecta. Illae quidem reliquiae potissimum eo valent, ut certae sint et habeantur res in medium adductae, hae vero medicis doctis id commodi adferunt, ut, quae qualisque sudatoria lues nova, epidemia, endemia, quae ejus origo et natura, quae medicorum disputatio de loco nosologico, quae curandi ratio fuerit, satis superque intelligatur. Ultimo, meus ut mos est, semper nominavi factorum et visorum testes ideoneosque opinionis et conjecturae doctae judices, ut, per quos ipse profecerim, scirent om-

nes neque aliorum vel auctoritati imprudenter subscripsisse vel doctrinae famaeque alterius aliquid male detraxisse perhiberer. Sunt in his auctoribus longe locupletissimi ac fide dignissimi viri, qui vel aequales tempore, vel successione proximi erant (narrant enim res gestas, quas vel ipsi oculis viderant, vel a patribus fideliter traditas acceperant); minorem fidem habent, qui posteriore aetate demum vixerunt, nisi ex scriniis publicis vel annalibus privatorum suam luis hujus descriptionem sumserint. Quin vero nec ille quales quales fuerint in perscrutanda mali patrii natura prorsum negligendi, vel alto supercilio spernendi sunt: cum urbes municipia, pagos bona fide referunt, quibus sudor epidemius olim adfuit, commorationem morbi ac iter varium per varios terrarum fines ac regna remotissima satis superque confirmant. His quidem auctoribus, ut ducibus doctis atque peritis, in conscribenda sudoris epidemici historia et itinerario usus sum, sed ita ut suam cuique rationem, quam ab magistris artis et professoribus acceperat, et bona verba et demonstrationem rei gestae scholasticam perlubenter concederem, neque aliquid ut verum ac certum adhibendum censui, nisi vel ipsis scriptorum verbis satis expressum esset, vel consecutione justa deductum. Sic, me judice, veritati sua vis, historiae sua fides in perpetuum constabit, sic habebunt viri docti, praesertim Britanni occasionem peropportunam, ex actis patriis supplendi defecta, corrigendi minus bene dicta, collustrandi obscura, faciendi certa, quae per tria saecula quidem ceteris impervia, inaccessa, lubrica et instabilia esse credebantur. En rationem abunde a nobis redditam! Immensam et quam maxime taediosam operam suscepi, susceptam post annos multos demum peregi, peractam et satis diu perpolitam scriniis meis invitus iterum continui, cum per belli crudelissimi vim nec consilii communicandi potestas esset, nec literarum communio civibus liceret. Quidquid demum rei sit, prodesse hac industria plurimis volui, obesse nemini. Veritas enim omnibus patet, eaque a nemine vel occupata vel anticipita est, neque ea invenietur in posterum, si contenti simus aliorum dictis vel opinionum commentis, vel magistrorum auctoritate, vel formula fiduciae, si subito magnorum hominum judicio temere credamus, si via veteri socordes ac lenti pergamus, vel praeteritorum saeculorum inventa per se utilissima nova-

rum rerum studio turpi negligamus. Certe perobscuram sudoris anglici historiam fideliter persecutus ipsum verum sine ira partiumque favore quaesivi, cum eo tamen, ut nec aliorum disputationes captiosas horrere, nec aculeata novatorum sophismata retundere voluerim. Audeant ipsi meliora, si possint! Vos vero, qui justi estis operis hujus amplissimi fautores, arbitri, judices, ignoscatis editori magna tentanti, ardua molienti, vos denique lectores, faveatis scribenti, de reliqua argumenti dignitate videant posteri!

Scripsi Jenae Saxonum. MDCCCXII.

Chr. Gottfr. Gruner.

INDEX [1]).

PARS PRIMA.

Sudoris anglici Monographi.

	Pag.
I. Jacobus Castricus. G.	1.
II. Tert. Damianus. G. H.	17.
III. W. Bayer. G. H.	39.
IV. Euricius Cordus. G. H.	73.
V. Hermannus Nuenare et Simon Riquinus. G. . . .	93.
VI. Petrus Wild. G. H.	117.
VII. Antonius Brelochs. G.	123.
VIII. Joannes Hellwetter. G. H.	147.
IX. Magnus Hundt. G. H.	153.
X. Joannes Nidepontanus et Laurentius Frisius. G. .	156.
XI. Consilium medicorum Francofurtensium. G. . . .	179.
XII. Casparus Kegler. G. H.	185.
XIII. Antonius Klump. G.	191.
XIV. Sigismundus Kröll. G.	217.
XV. Regimen Norimbergense. G.	225.
XVI. Regimen Vitebergense. H.	229.
XVII. Joannes Volg. G.	236.
XVIII. Joannes Rhomming. G.	251.
XIX. Georgius Gundelfinger. G.	259.

1) Scriptores Grunero tantum cognitos, litera G., similiter libros ab Heckero demum repertos litera H., eos denique, quos nec Grunerus nec Heckerus inspicere potuerunt, crucis signo (+) indicavi.

Pag.

XX. Theobaldus Fettich. G. . . . . 267.
XXI. Joachimus Schillerus. G. H. . . . . 274.
XXII. Cajus Britannicus. . . . . 311.
a. Liber anglicus. + ... 311.
b. Liber latinus. G. H. . . . . 345.

PARS SECUNDA.

Fragmenta historica et medica.

I. Fragmenta anglica.

1. Anonymus. G. H. . . . . 407.
2. Polydorus Virgilius. G. H. . . . . 410.
3. Holinshed. G. H. . . . . 411.
4. Nicolaus Sanderus. G. . . . . 414.
5. Franciscus Goodwinus. G. H. . . . . 415.
6. Eduardus Herbertus. G. H. . . . . 417.
7. Joannes Fuller. G. . . . . 418.
8. Antonius a Wood. G. H. . . . . 419.
9. P. v. D. G. . . . . 420.
10. Gilbertus Burnetus. G. . . . . 422.
11. De Larrey. G. . . . . 422.
12. Strype. G. . . . . 424.

II. Fragmenta belgica.

1. Joannes Secundus. G. . . . . 427.
2. Paullus Jovius. G. H. . . . . 428.
3. Ludovicus Guicciardinus. G. H. . . . . 428.
4. Cronicke van Vlaenderen. G. . . . . 430.
5. Joannes Gualterius. G. . . . . 431.

Pag.

III. Fragmenta germanica.

1. Georgius Spalatinus. G. . . . . 433.
2. Paullus Langius. G. . . . . 433.
3. Martinus Lutherus. G. . . . . 433.
4. Desiderius Erasmus. G. H. . . . . 434.
5. Sebastianus Franck. G. H. . . . . 439.
6. Joannes Reckeman. G. H. . . . . 439.
7. Chronicon Francofurtanum. G. . . . . 440.
8. Nicolaus ab Klempzen. G. H. . . . . 440.
9. Reimarus Kock. G. . . . . 443.
10. Chronicon Gebweilerianum. G. . . . . 444.
11. Chronica Argentoratensia. G. . . . . 445.
12. Chronicon Norimbergense. G. . . . . 447.
13. Joannes Rennerus. G. . . . . 448.
14. Hermannus a Kersenbroch. G. . . . . 448.
15. Joannes Sleidanus. G. H. . . . . 449.
16. Chronicon Salisburgense. G. . . . . 450.
17. Eggerik Beninga. G. . . . . 451.
18. Chronica Erfurtensia. G. H. . . . . 451.
19. Michael Beuther. G. . . . . 452.
20. Achilles Pirminius Gassarus. G. . . . . 453.
21. Laurentius Surius. G. . . . . 454.
22. Georgius Fabricius. G. . . . . 454.
23. Andreas Werner. G. . . . . 455.
24. Heinrich Bunting. G. . . . . 455.
25. Cyriacus Spangenberg. G. H. . . . . 456.
26. Andreas Engel. G. . . . . 458.
27. Caspar Henneberger. G. . . . . 459.
28. Engelbertus Werlichius. G. H. . . . . 459.
29. Martinus Crusius. G. . . . . 460.
30. Joannes Letznerus. G. . . . . 460.
31. Hermannus Hamelmannus. G. . . . . 461.

Pag.
32. Historia universitatis Viennensis. G. . . . . 461.
33. Hector Fridericus de Wicht. G. . . . . 462.
34. Henricus Meibomius. G. . . . . 462.
35. Tobias Heydenreich. G. . . . . 463.
36. Andreas Goldmeyer. G. . . . . 463.
37. Hermannus Stangefol. G. . . . . 464.
38. Tobias Schmidt. G. H. . . . . 464.
39. Christophorus Schorer. G. . . . . 466.
40. Christophorus Schulze. G. . . . . 466.
41. Reinhold Curicke. G. H. . . . . 466.
42. Nicolaus Erbenius. G. . . . . 467.
43. Achilles Augustus von Lersner. G. . . . . 467.
44. Gottfridus Lengnich. G. . . . . 467.
45. Constantinus Moerbitz. G. . . . . 468.
46. Caspar Abel. G. . . . . 468.
47. Joh. Petr. Kayser. G. . . . . 469.
48. Historia Gottingensis. G. . . . . 470.
49. Joannes Everardus Foullon. G. . . . . 471.
50. Dieterich Schroeder. G. . . . . 471.
51. David Franck. G. H. . . . . 472.
52. Benjamin Gottlieb Sutorius. G. . . . . 472.

IV. Fragmenta helvetica.

1. Ludovicus Lafaterus. G. . . . . 473.
2. Henricus Mutius. G. . . . . 473.
3. Joannes Stumpf. G. H. . . . . 474.
4. Christianus Wurstisen. G. H. . . . . 474.
5. Jacobus Henricus Petri. G. . . . . 474.
6. Michael Stettler. G. H. . . . . 475.
7. Anshelm. † . . . . . 476.
8. Henricus Bullinger. † . . . . . 477.

Pag.
9. Anonymus Gallensis. + ... 477.
10. Aegidius Tschudi. + ... 478.

V. Fragmenta danica.

1. Arrild Huitfeld. G. H. . . . . 479.
2. Cornelius Hamsfort. G. . . . . 480.
3. Ericus Pontoppidanus. G. . . . . 480.
4. Anonymus. H. . . . . 481.

VI. Fragmenta suecica.

1. Ericus Joerensson. G. H. . . . . 482.
2. Petrus Niger Swarts. G. H. . . . . 483.
3. Rasmus Carlson. G. H. . . . . 483.
4. Olaus Celsius. G. H. . . . . 484.
5. Joannes Loccenius. G . . . . . 485.
6. Olof von Dalin. G. H. . . . . 485.

VII. Fragmenta gallica.

1. Joachim le Grand. G. . . . . 486.
2. Franciscus de Rosières. G. . . . . 490.

VIII. Fragmenta italica.

1. Thomas Leodius. + ... 491.

IX. Fragmenta medica.

1. Henricus Cornelius Agrippa. G. H. . . . . 492.
2. Leonardus Fuchsius. G. H. . . . . 493.
3. Franciscus Valleriola. G. H. . . . . 494.
4. Joannes Langius. G. H. . . . . 495.

Pag.
5. Joannes Fernelius. G. H. . . . . 496.
6. Matthaeus Flaccus. G. H. . . . . 497.
7. Cornelius Gemma. G. H. . . . . 498.
8. Joannes Boeckelius. G. H. . . . . 499.
9. Petrus Forestus. G. H. . . . . 499.
10. Rodericus a Fonseca. G. H. . . . . 504.
11. Petrus Immanuel Hartmann. G. H. . . . . 505.

X. Fragmenta medica manuscripta.

1. Rembertus Giltzheim. + ... 507.
2. Anonymi Hamburgenses. H. . . . . 517.
3. Th. Kantzow. + ... 518.
4. Joh. Berckmann. + ... 519.
5. Chronicon Hamburgense. + ... 519.
6. Anonymi regimen. + ... 519.
7. Anonymus. + ... 520.
8. Joannes Smeth. + ... 521.
9. Lambertus Slagghert. + ... 521.
10. Stromer ab Auerbach. + ... 522.
11. Georgius Heltus. + ... 525.
12. Schilldtel. + ... 527.
13. Ex Magdeburgo Regimen. + ... 530.

PARS TERTIA.

Additamenta.

I. Judicia de scriptoribus et fragmentis. . . . . 535.
II. Commentatio de sudoris anglici historia atque natura. . 539.

PARS PRIMA.

SUDORIS ANGLICI

MONOGRAPHI.

JACOBI CASTRICI

HASSEBROCANI PHYSICI ANTVERPIENSIS

DE SUDORE EPIDEMIALI QUEM ANGLICUM VOCANT AD MEDICOS GANDENSES EPISTOLA.

GUILIELMUS PRUDENTIUS.

Pestiferi infandum sudoris noscere virus
Si cupis, ac subito pellere triste malum
Perlege, quae paucis voluit conscribere chartis
Doctus Jacobus, quo duce sanus eas.

LUTECIAE,

APUD

CHRISTIANUM WECHEL.

SUB SCUTO BASILEENSI IN VICO DIVI JACOBI 1529.

JACOBUS CASTRICUS

Physicus

Lectori [1]).

Hanc epistolam, candide lector, tametsi non eo animo scripseram, ut in publicum emitterem, tamen ab amicis quibusdam persuasus, quo saltem nonnullis fortasse prodessem, et doctioribus occasionem plura ac meliora excogitandi darem, passus sum typis evulgari, verum de hoc edito libello propediem fusius scribere constitui, cuius interim haec epistola, ceu gustus quidam, esto. Vale.

Jam pluribus literis, cognate observantissime, tibi fortunae nostrae tragoediam exposui, deinde redditae mihi sunt tuae literae, et illae

---

1) Editio, quam secuti sumus, Parisiensis, ex libris est Bibliothecae regiae Parisiensis. Alii auctores memorant editionem Antverpiensem apud Joh. Grapheum 1529. 8. (principem ut videtur. — H. —) ex. gr. Foppens, Bibl. belgic. T. I. p. 506. Aliam libelli inscriptionem habet Adami (Biblioth. loimica, Vindob. 1784. p. 160) ab aliis ejus auctor falso dicitur Castrius. Perlecta epistola, quae in fronte lectori, intus cognato inscribitur, dubium est, num ea Jacobo Castrico physico, an Jacobo de Castro, medico Antverpiensi, sit attribuenda. Etenim et genus dicendi diversum est et expressis verbis infra auctor scripsit: „mitto ad te libellum magistri Jacobi praenominati“ et H. C. Agrippa (Epist. lib. V. ep. 85. p. 952) refert antidotum communicatum cum „magistro Jacobo de Castro, medico Antverpiensi, qui eodem primum uxori suae, deinde innumeris aliis, porro sibi ipsi saluti fuit,“ unaque addit, „ut scias, quomodo patiens regendus sit, mitto ad te libellum magistri Jacobi praenominati, in quo omnem reliquam negotii seriem compendiose traditam invenies.“ Haec fere ad verbum cum hac epistola conveniunt. Forte lis omnis sic decerni potest, ut epistolam ad Jacobum Castricum, commentationem vero ad Jac. de Castro pertinuisse statuamus. Etiam Ge. Matthiae (Conspect. hist. medic. chronol. p. 185) Rolandum a Castro, Antverpianum, et (p. 187) Jacobum Castricum, Hassebrocanum, utrumque sudoris anglici commentatorem nominat. Ludov. Guicciardinus (Commentar. lib. II. p. 99 Tom. II.

etiam doloris atque moeroris plenae. Manus domini tetigit me, et sustulit solatium vitae meae, non est quicquam ultra, quod iucundum esse poterit, nec est, quod consoletur me. Nondum remigravi in domum meam, nec disposui filiis ceterisque rebus meis, impedivit siquidem nos novum pestis genus, quod omnem hanc provinciam subito invasit. Nec dubito etiam vestrum haemisphaerium irrupturum. Hujus remedia misi tibi proximis diebus per Petrum Billadum [2]) et quo saluti tuae tuorumque melius consultum sit, ego tibi morbi genus aperiam, et quomodo praeservaberis et curaberis, iterum describam.

Est enim morbus hic febris quaedam, quia calor est innaturalis, accensus et motus a centro ad superficiem, et licet terminetur in XXIV horis, non tamen est febris ephimera, quia cum horripilatione et rigore incipit, et cum sudore non rorido, sed humoroso plurimoque perdurat, atque cum calore intensiore, quam in ephimera. Non est etiam febris hectica, quod ex pulsu, urina, exacerbatione et velocitate curae facile cognoscitur. Est ergo febris putrida humoralis, non quidem sanguinea, non colerica, non flegmatica, non melancolica, pura, sed pestilentialis, cujus materia est maligna, venenosa, colerica, subtilis, sanguini permixta, cujus signa sunt manifesta, quia est in ea vehemens calor et angustia, soda [3]) pulsativa et alienatio, et rubor faciei cum inflammatione maxillarum, quae omnia arguunt super coleram et sanguinem, atque sunt cum istis perturbatio intrinseca circa pectus et thoracem, cum tristitia et anxietate, et casu virtutis ac spasmo membrorum nervosorum. Estque sudor foetoris horribilis, et in pluribus exeunt morbilli,

---

Annal. Belg.) habet Castroandoverpanum et Rolandum Machlinianum, item Val. Andreae (Bibl. belg. p. 708) „Rolandus, Machliniensis et alter Castro - Antverpianus, primi nominis medici, cordate et eleganter scriptos libellos ediderunt de lue sudatoria.“ Est vero prior „Joach. Roelants, medicus apud Mechlinienses primarius“ (Andr. Vesalius, radic. Chinae usus. Lugd. 1547. p. 11. 285.) ejusque liber mihi hactenus non visus, posterior hujus epistolae auctor nominandus. — G. —

2) De quo viro haec habet H. C. Agrippa (Epist. lib. V. ep. 38. p. 251. ep. 45. p. 254. ep. 84. et 85. p. 277.) „Dirigas literas ad manus Petri Billadi, mercatoris Parisiensis etc.“ — G. —

3) Soda significat capitis dolorem. (Ebn-Sina, Can. Lib. III. Fen. I. Tract. 2. c. 1. p. 347. — Jo. Anglicus, Rosa angl. ed. Schopff. Aug. Vind. 1594. Lib. I. 1. p. 1.) Apud Gersdorf (Wundarznei) est soda „Wehe des ganzen Hauptes;“ apud Thurneisen „das grosse Hauptweh, Soda genannt.“ — G. —

aut sanguinem exspuunt, quae quidem propria sunt febris pestilentialis. Verum quoniam materia peccans in hac[3] febre superficialis est, non profundata, et subtilitate sua disposita expulsioni, hinc est, quod natura stimulata malignitate illius subito movetur ad faciendam crisim, quae tunc plurimum est salubris, si non cadat error in regimine. Nec obstat huic dictum Galeni Commento XIII. super secundo Aphorismorum inquientis, omnem crisim plus attinere saluti, quam morti, excepta ea, quae in febre pestilentiali fit. Nam illud tunc ratum est, quando materia in profundo putrefacta est.

Habes ecce morbi notitiam, nunc accipe remedia. Ut ergo praeserveris, utere bis vel ter in hebdomade pillulis pestilentialibus communibus reformatis cum modico olei amygdalarum dulcium. Sic enim efficitur, ut non indurescant, capiasque unam aut plures per horam ante coenam. Utere etiam mane in aurora et sero eundo dormitum aliquo ex praeservativis tiriacalibus contra pestem, quorum plura excellentia comperies in meo libello contra pestilentiam[4]) ad episcopum Cyrenensem edito, ego autem particulare praeservativum feci tale. Recipe granorum juniperi unciam unam, cinamomi electi, gliquirizae[5]) rasae, seminum citri, coriandrorum praeservatorum, de singulis unciam mediam, radicum diptami, zedoariae, gentianae, tormentillae, pimpinellae, salviae, rutae, anthos ana drachmam unam, seminis foeniculi, macis, ana drachmas duas, et unam nucem muscatam. Omnibus conquassatis et commixtis, coquantur in libris IV aquae fontis et libra media aceti acuti ad consumtionem tertiae partis, deinde coletur totum cum expressione, et servetur in amphora vitrea bene obturata, et omni mane et omni vespere, quando itur dormitum, bibatur ex illo quantitas duorum aut trium coclearium.

Curativum autem et sanativum remedium feci tale, idque iuxta sententiam Avicennae ad expellendum materiam peccantem a centro ad circumferentiam et caliditatem atque venenum a partibus cordis, quibus adjunximus etiam ea, quae proprie pestifero veneno resistunt, corque et cerebrum confortant, opilationes aperiunt, et

---

4) Hunc libellum ceteri auctores non memorant, prater H. C. Agrippam, (Epist. 85. Lib. V. p. 278. Tom. II. Opp.) — G. —

5) Pro liquiritiae. Mox praeservatorum pro praeparatorum vel conditorum et coclearium pro cochlearium. — G. —

membra nutritiva ac spiritualia corroborant. Accipe ergo ficuum siccarum, dactilorum enucleatorum, passularum mundatarum, de singulis uncias tres, lentium excorticatarum unciam unam, gliquirizae rasae, seminum citri, radicum diptami, zedoariae, gentianae, foeniculi, petroselini, sandalorum rubeorum, rosarum rubearum, granorum juniperi, de singulis drachmas duas, macis drachmas tres, coquantur omnia in quatuor libris aquae fontis, vel, quod melius est, in aquis scabiosae et foeniculi ad consumtionem tertiae partis, et de hac decoctione exhibeatur tepide ciathus unus aut plures a principio, et etiam in progressu hujus mali. Sentiet namque aeger subito juvamen notabile. Et ego cum hoc remedio multis Italis succurri, et communicavi illud magistro Jacobo de Castro, medico Antverpiensi, qui cum eodem primum uxori suae, deinde innumeris aliis, porro sibi ipsi saluti fuit. Praeterea domino Joanni Mariae [6]), physico Margaretae principis, visum est id ipsum optimum remedium, sed consuluit decoctionem fieri cum aceto, aut infusionem rerum praedictarum primum in aceto fieri, et ego adsentio illi, facioque in posterum ad supra dicta addi mediam libram aceti, et sic decoctionem perfici.

Ceterum, mi cognate, ut scias, quomodo patiens regendus sit, ne nimis prolixam epistolam pariam, mitto ad te libellum magistri Jacobi praenominati, in quo omnem reliquam hujus negocii seriem compendiose traditam invenies. Non occurrit, quod ad te scribam aliud, nisi quia commendo tibi charissimam conjugem meam, cognatam tuam, semper piis ad deum precibus prosequendam. Vale, et saluti ac sanitati tuae stude. Ex Antverpia XIII. Octobris M. D. XXIX. festino calamo.

---

6) Eundem medicum perhonorifice appellat H. C. Agrippa l. c. Scripsit etiam ille eodem a. 1529. m. Julii Anglis Cameriaci commorantibus, Gonstaldo, episcopo Londinensi, et Th. Moro consilium adversus pestilentiam i. e. sudorem anglicum. (Ibid. Epist. 80. L. V.) Hoc enim tempore Caletum, Bononia, Guisna et omnis fere Picardia in Anglorum potestate fuit. — G. —

Medici Gandavi
Jacobo Castrico ceterisque suis artis medicae commilitonibus. S.

Rumor jam fere per universum orbem dispersus est, viri doctissimi, apud vos novam quandam morbi speciem ortam esse, quae celerius ac majori cum gravamine aegrum ad internitionem seu mortem deducit, quin ipsa pestis omnibus nota, tum quia adventitia est, tum quia medicis hactenus ignota. Qua de re Gandis reipublicae gubernatoribus, subiectorum nimirum utilitati consulentibus, haud inconsultum visum est, hujus civitatis medicos convocatos consulere, quidnam remedii potissimum praesenti huic letali morbo adhiberi, aut quo maxime praeservativo adveniens propulsari posset. Nos, ne ignoto morbo mederi velle videremur, consultum declaravimus fore, si ad vos unanimes scriberemus rogando novi huius pestilentissimi mali signa, ex quibus ejus notitiam colligere valeamus, sudoris modum, ejusdem conditionem, quam potissimum partem teneat, lotii dissidentiam, alvi excretionem, pulsus diversitatem, et, ut universum loquamur, sex rerum praeter naturam in hoc morbo dispositionem nobis declarare haud gravaremini. Quod ut fiat, non tantum ipsa respublica, quae pro beneficio in eam collato, parata mercede, agnoscat, quantum et nos, qui id summe cupiamus, vos etiam atque etiam obtestamur. Valete. Gandavi pridie calend. Octobr.

Eximiis et expertissimis rei medicae professoribus
Gandavi praxim exercentibus
Jacobus Castricus, Antverpiensis,
Salutem.

Redditae sunt mihi, viri humanissimi, a publico Vestrae reipublicae tabellario doctissimae literae vestrae, quibus certiores fieri cupitis de novo hoc et prioribus seculis incognito morbo, qui primum ex Britannia, deinde ex orientalibus maritimis regionibus [7])

---

7) Ex opinione ista haud probanda, quae ab insula Rhodo ortum petit sudoris britannici. — H. —

ortum habens, ac per Germaniam inferiorem[8]) obambulans, tandem et nostram hanc civitatem occupavit, ac plurimos strenuos viros citissime confecit et neci dedit, petitisque, ut, una cum confratribus meis medicis hic agentibus primum colloquio de hac re habito, vobis ac reipublicae vestrae perscribam, quaenam sit morbi species, quibus signis noscatur, qua cura regendus sit et propulsandus, tum quo pacto nondum ab illo apprehensi praeservari ac muniri, ne arripiantur, possint, ut commodius vestris civibus (si forsan et malum hoc istuc, quod deus avertat, serpat) consulere possitis. Verum cum commilitonibus meis, viris profecto doctissimis, post epistolam vestram acceptam non fuit opportunitas de hac re consultandi, partim quod nonnulli illorum sibi ac familiae suae metuentes hinc alio ad tempus migrarint, partim quod, qui adhuc adsunt, aut ipsi a lue hac immani apprehensi lecto decumbunt, aut, si valentes sunt, toto die aegris invisendis ultro citroque cursitando, ac domi etiam lotiis inspiciendis et consilia dandis sunt, quemadmodum et ego quoque, occupatissimi, ut admodum difficile fuerit illos simul convocatos convenire. Igitur cum amplissimus noster senatus a vestrae civitatis magistratu rogatus mihi provinciam vobis respondendi injunxerit, ac vos etiam per literas a me idem petieritis, utrisque gratificari volens laborem hunc scribendi perquam lubens suscepi. Quare partim ex colloquio prioribus diebus de hac re cum aliis medicis habito, partim ex iis, quae industria et experientia me docuit, paucis praescribam, quae de hoc terribili morbo cognita teneo. Nam prolixius scribere neque per occupationes et temporis angustiam vacavit, neque etiam opus fuit, cum ex iis reliqua pro vestro ingenio, doctrina et experientia facile poteritis conjicere et assequi.

Morbus igitur iste sudoriferus, quem vulgus Anglicum sudorem vocat, quod soli Angliae diu cognitus et peculiaris fuerit, videtur posse noncupari febris ephemera pestilentialis aut epidemialis. Est enim febris quaedam pestilentialis accensa potissimum et fundata in spiritibus, etiamsi non negem, quin et sanguis, et reliqui humores una accendantur et inficiantur. Estque tanta humoris et

---

8) Germania inferior eas amplectitur regiones, quae ad vicinitatem maris sic dicti septentrionalis et orientalis (Nordsee et Ostsee) sitae sunt, quas nos simili nomine „Niederdeutschland“ nominanus. Latiori sensu Germania inferior Hollandiae quoque fines continet. — H. —

veneni malitia tantaque materiae furiositas, ut natura illico crisim tentare cogatur, quae in horis certis conficitur. Nam ut reliqui morbi acuti terminantur in die cretico, aut quarto die, aut septimo, aut nono, aut undecimo aut decimo quarto, aut decimo septimo, aut vigesimo, aut vigesimo quarto etc. ita hic morbus, de quo nunc agimus, terminatur aut hora septima, aut nona (quod raro fit ad salutem) aut hora undecima, aut decima quarta, aut decima septima, aut vigesima, aut vigesima quarta. Quem terminum ut rarissime excedit, ita plurimum attingit.

Fit autem crisis hujus ephemerae pestilentialis maxime per sudorem copiosum et foetidum, et quandoque etiam per frequens lotium [9]). Nam quo frequentius aeger urinam in hoc morbo facit, eo melius. Quibusdam etiam, etiamsi paucis, vomitus supervenit, quo sanguinem atrum ac bilem rejiciunt. Verum etsi febris haec quaedam pestis sit species, tamen, ut aliae pestes, non ita est contagiosa. Multi enim aegris assidue assistunt, qui non inficiuntur, et alii, quantumvis fugientes et sibi maxime caventes, tamen apprehenduntur. Accipit igitur tantum dispositos: Nam, teste Galeno I. De Different. Febr. maxima pars generationis morborum est afficiendi corporis praeparatio, et Aristotele teste, actus activorum sunt in patiente praedisposito. Potissimum apprehenduntur pletorici et cachochimici, ac illis ex hoc morbo, ubi arrepti sunt, majus est periculum.

Occasionem autem et causam potissimum (de naturalibus videlicet causis loquendo, ut de divina ira ob peccata nostra innumerabilia taceam) huic morbo dedisse reor multam et diuturnam, quae hac aestate praecessit, aeris humiditatem. Fuit enim totus ferme annus, et praecipue aestas, vergens ad humidum cum tepido quodam calore, quod aeris temperamentum, calidum videlicet ac humidum, omnium aeris temperamentorum pessimum est, et maxime morbos pestilenticos in hominibus producere notum, ut pulchre Galenus I. De Temperamentis, tum ratione, tum experimento et auctoritate Hippocratis in tertio Epidemiarum declarat. Cui etiam consentit Avicenna secunda primi. Et apud nos coepit hic morbus post densam quandam et grave olentem nebulam [10]), ac saeviit potissi-

---

9) Conf. Cajum, Damianum, Schillerum, Regimen Viteberg. etc. — H. —

10) Hanc nebulam etiam consignatam habent P. Forestus, Cajus compluresque alii. — G. —

mum austro, qui calidus est ac humidus, cum multa pluvia flante, intraque dies quatuor plus minus quadringentos [11]) e medio sustulit.

Invadit frequenter cum frigore quodam et horripilatione aut cum rigore, quandoque ad semihoram, quandoque paullo diutius durantibus, nonnunquam cum angustia circa praecordia et pulsu ac tremore cordis, et totius corporis debilitate, ita, ut pedibus insistere vix valeant, aliquando cum capitis dolore et vertigine, frequenter in somno aut illico a somno, deinde succedit sudor quidam symptomaticus et diaphoreticus foetidus per universum corpus, praecipue tamen circa pectoralia, calor quoque paullatim invalescit.

Signa igitur hujus morbi sunt haec, quae nunc scripsi, de modo invasionis, et sudor foetidus cum mala illius tolerantia et angustia, calor ac aestuatio circa pectoralia, inflammatio, rubor et inflatio faciei, capitis dolor, et cordis pulsus ac tremor, nonnulli etiam renes, alii ventrem, alii stomachum, alii alibi dolent.

Durat morbi vehementia ut plurimum viginti quatuor plus minus horas, quandoque tamen paucioribus horis terminatur, ut XIV horis, XVII aut XX. Lotium hoc morbo laborantium rarissime medico videndum porrigitur, quod illud in lecto fere faciant, ne, matula illis porrecta, aut sese ad urinam emittendam erigentes ab exteriori aere tangantur, qui sudorem illum pestiferum et venenosum, quem natura cretícando ad exteriora propellit, ad interiora reducat et repercutiat, ac ita (ut fere fit, dum ante tempus nudantur) mors illico subsequatur. Sic etiam vix licet medico pulsus modum et diversitatem perpendere, quod manus sub stragulis continendae sint, ne aer frigidus illas cum pectoris aliqua parte attingat. Verum cum aeger tuto nudari potest, quod est, ubi sudor jam et cordis pulsus ac angustia cessarunt, et aeger sese alleviatum sentit, ac manus jam detumuerunt, quae in ipsa morbi vehementia prae tumore et inflatione rigidae sunt et tensae, ut claudi non possint (quod quandoque post XVII horas, frequenter tantum post XXIIII horas contingere solet) tunc, inquam, pulsus adhuc reperitur, qualis est febre calida laborantium, mollis et undosus, ex sudore, frequens et velox, diversus, et frequenter plenus, in pletoricis potissimum.

Quod ad curam consimili fere in rebus, quas non naturales

---

11) Seriores historici non dubitarunt adjecto zero scribere 4000—5000. — H. —

vocamus, regimine et eodem ferme modo regendi sunt, et curari, et gubernari solent, qui variolis laborant et morbillis, sed cum morbus iste multo sit acutior et brevioris terminationis, ac cum symptomatis magis saevis, utpote cum fiat ex materia magis maligna et venenosa, ideo major sollicitudo, diligentior custodia et victus ratio exquisitior quam in variolis aut morbillis [12]),“ est adhibenda.

Cum quis hoc morbo sese apprehensum sentit, quam primum fieri potest, tutius est, ut in lectulum sese conjiciat, in quo moderate, non nimium tegatur. Nam multi ex nimia coopertura supercalefacti et suffocati mortem obiere. Sufficit igitur duplex stragulum, pedes tamen paullo plus reliquo corpore tegendi, caput leviter cooperiatur, cavendum summopere, ne aer frigidus exterior ullam corporis partem praeter faciem in ipso paroxysmo tangat, ideoque, si aeger sese vertere velit, stragula undique maxime circa collum, stricte ab adstantibus teneantur, ne aeger ventiletur, et ab aere frigido percutiatur, qui naturae ad cutem propellentis operationem impediat.

Fateor tamen nonnullos, in quibus virtus fuit fortis, evasisse, qui sese nudarunt, aut e lecto adhuc sudantes surrexerunt, sed alter modus tutior est et securior.

Tempore necessitatis frons liniri potest aqua rosarum paullulum tepefacta, etiam naribus adhiberi potest acetum rosatum aut sambucinum solum, aut cum aqua rosarum aut lavendulae pro virtute relevanda et syncopi evitanda. Et si vehementer calent et aestuant, cubiculum irroratur sparsione aquae rosarum cum aceto.

A somno, donec sudoris copia et graveolentia subsistat, ac manus detumeant, et paroxysmi vehementia cesset, consultius est, ut abstineant, et si opus sit, vi serventur, aut frequenti appellatione, aut barbae, aut nasi, aut aurium vellicatione, aut guttulis

---

12) Medici hanc febrem fere curabant, ut pestem vel febrem pestilentem eique communia remedia paullo laxius accommodabant. Hinc ex communi praecepto medici Hassiaci (Ein Kurtzer Bericht, wie sich der gemeine Man in zeiten der Pestilentz halten sol. Leipz. 1566 [Biblioth. nostr. H. —] p. 11 jubent: „Der Krancke sol zugedeckt wol schwitzen eine stunde oder zwo, oder so lange er vermag und in keinem wege schlaffen, der schweis sol mit fleis durch gewermete Tücher und andere dinge befördert werden, darnach sol man den schweis wol abtrucknen, andere frische Leinlachen unterlegen, und wo es möglich, den Krancken in ein ander Gemach bringen.“ — G. —

aquae rosarum in faciem inspersis, aut olei, aut aceti gutta in oculum injecta, aut aliis ingeniis. Saltem non sinantur diu ac profunde dormire, sed frequenter et cito somnus interrumpatur. Dormiunt enim fere somnum quemdam veternosum, innaturalem et subethicum [13]), per quem periculum est, ne venenositas ad interiora retrahatur, aut ad caput materia rapiatur, et delirium aut paraphrenesina faciat, ac tandem ad morbum epilepticum sive comitialem et mortem deducat. In ipso principali paroxysmo nihil, nisi maxima cogat necessitas, cibi exhibendum est, sed propter intensam sitim, qua plurimi premuntur, et aestuationem ac calorem, quem introrsus patiuntur, consuevi exhibere aquam decoctionis hordei cum iuleph violato paullatim et calide sumendam, aliis cervisiam tenuem, non fumosam concessi cum saccaro candido, in quo nonnulli decoquunt parum salviae, alii cum panno lineo paullulum macis suspendunt. Dantur etiam illis corroborantia, ut manus Christi condita ex conservis et pulveribus cordialibus.

Nonnulli in principio invasionis morbi coclear exhibent ex aquis rosarum, indiviae, lavendulae, aceti vini cum pulvere pauco margaritarum et corallorum, et confert valde. Optimum etiam est a principio exhibere paullulum theriaces Andromachi cum aceto optimo, aut aqua acetosae, aut buglossae, aut scabiosae, aut consimili. Quandoque dedi ex electuario divi Maximiliani, quod ovum philosophicum vocant, cum aqua endiviae aut consimili, et juvit maxime, ac citissime aegrum liberavit. Alii simile aliquod theriacale exhibent, quo plures liberant.

Nonnulli a principio, stomacho vacuo, exhibent cum aceto vini acerrimo calefacto drachmam unam aut paullo plus pulveris cujus-

13) Subethicum a voce arabica Subâth سُبَاتٌ Inde ex. gr. arteriae carotides Arabibus sunt art. subethicae. Deinde Subeth, corruptum in Subet, Subetia, Subetum, Sotat, dictum est a medicis medii aevi pro lethargia, sopor. Phrenitidem quoque Arabes Subeth appellant, sive Subeth Ashari seu Subeth Asar seu Subeth Sari (سُبَاتُ السَّهَرِيِّ [Subathussahari) سُبَاتُ سَهَرِيٍّ Subathusahar(in).] — H. — i. e. dormitatio vigilans (conf. Ebn Sina, Canon. lib. III, Fen. 1. Tract. 4. c. 1. p. 368. Alex. Benedict. (De pestil. c. 14. p. 566. Opp. Craton. Consil. lib. VII. p. 14. prae ceteris Bertrutius, Collect. art. med. Colon. 1537. Tract. 1. sect. 1. c. 3. p. 20. a. qui Subeth passionem dicit ventriculi cerebri anterioris, sopore leviorem.) — G. —

dam, quem Georgius Valla describit, quem pulverem credo et in hoc morbo, et in omni peste, modo tempestive detur, efficacissimum. Sunt et alii pulveres non minoris quam illae, imo majoris (ut reor) efficaciae, quos, ut brevis sim, omitto.

Ego tum in aliis, tum in uxore propria praegnante, dum hoc morbo laboraret, expertus sum plurimum conferre decoctum factum in aquis foeniculi et scabiosae ex ficubus, passulis et lentibus cum semine foeniculi, addendo propter cordis pulsum et alia mala symptomata parum radicis dictami et zeduariae, et de semine citri cum pauco sandalorum. Do talem potionem solam aut cum modico theriaces, aut pusillo croci. Nam expellit caliditatem a partibus cordis, et prohibet pulsum cordis, ut auctor etiam est Avicenna prima quarti capite de curatione variolarum, pellit putridas fuligines et vapores ad exteriora, ac sudorem et lotium provocat, quae in hoc morbo maxime sunt conducibilia.

Interdum iste morbus adeo est saevus, et tanta veneni pernicies, ut intra horas paucissimas, ut sexta, aut septima aut nona, aegrum perimat, ideo remedia, quae dantur, tempestive et a principio dare expedit. Verum ubi aeger sese alleviatum sentit, et manus detumuerunt, ac libere claudi et aperiri possunt, sudorque iam desiit, corpus linteis paullulum tepefactis a sudoris graveolentia detergendum est, ac subucula nova induenda, cavendo tamen, ut quam minimum aeris frigidi aegrum attingat. Deinde aeger veste calida indutus e lectulo ad ignem lentum collocetur, et reficiatur, si appetat, cibo aliquo leviore et modico, postea lecto verso, et linteis novis substratis, cubile denuo reingrediatur, ubi dormiat ad libitum. Multi mortui sunt, quod nimis diu in lecto sub stragulis vi detenti sunt, ex quo supercalefiunt, et denuo sudare incipiunt, et frequenter paraphrenetici fiunt, et tandem convulsi aut epileptici moriuntur. Ideo, apparentibus praememoratis alleviationis signis, aeger e lecto sublevandus est, quotacunque fuerit hora a principio invasionis, non expectata semper hora vigesima quarta [14]). Nam in aliis citius, in aliis tardius natura crisim complet, ideo non omnes eadem linea metiendi sunt.

In via autem praeservativa opinor consimile regimen et consi-

---

14) Ad hanc enim usque medicastrorum turba jussit produci sudorem. — H. —

milia antidota conferre, quae contra pestem institui solent, qualia apud auctores nostros de peste scribentes reperiuntur infinita.

Humida plus aequo corpora, teste Galeno, primo de differentia febrium, exsiccanda sunt, sicca autem in sua siccitate conservanda. Reliqua non addam, ne docere illos velle videar, a quibus potius doceri possem, ac ne illud vulgatum in me jaciatur, sus Minervam. Nam et vobis haud dubito quin multo pauciora suffecissent, sed ubi semel coepi, vix scribendi finem invenio. Oro boni consulite, quod minus accurate scripta sunt; nam accuratius scribere propter occupationes non vacavit. Valete, et me vobis addictissimum commendatum habete, ac itidem me plurimum prudentissimis reipublicae vestrae gubernatoribus et magistratui ornatissimo commendate. Antverpiae II. Octobr. anno M. D. XXIX.

THEORICAE MEDICINAE

TOTAM REM MIRO COMPENDIO COMPLECTENTES, NON MODO MEDICIS AUT CHIRURGIS, VERUM ET OMNIBUS, QUIBUS SANITATIS DIVITIAE ETIAM CORDI SUNT, ACCOMMODAE ATQUE NECESSARIAE,

TERTIO DAMIANO,

VISSENACO DECIPOLITANO DOCT. ET MEDICO, ET CHIRURGO AUTORE.

HIS ACCESSIT LIBELLUS *ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΙΔΡΩΝΟΥΣΟΥ*, TEMPORE, QUO HOC MALUM SAEVIRET, AB EODEM CONCINNATUS.

ANTVERPIAE,

IMPRIMEBAT ANT. DUMAEUS. AN. MDXLI.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΙΔΡΩΝΟΥΣΟΥ

LIBELLUS [1]).

HIC HIDRONOSI NOTITIA ET CAUSSAE DOCENTUR.

CAPUT I.

Rem plane videor facturus gratam bonis aequisque viris, si pro mea mediocritate contendam, hoc praecipue calamitoso tempore, consilio, si non tam exacto, at sedulo sane subvenire, et jam jamque desperatis manum porrigere. Non me sane latet, quam sint et vires impares, et humeri depressi, imo proprio me metior pede, Ideoque nullus mihi aurem vellicet unguiculis suis demorsis, di-

1) Haec editio (quae praesto est in biblioth. acad. Jenensi — H. —) dicitur esse altera, princeps Antverpiae anno 1491 prodiisse fertur sub titulo: Tertius Damianus Vissenacus Decipolitanus de victus ratione, medendi modo, purgatione, hidronoso sive morbo Anglico. Antv. 1491. 4. (J. A. Fabricius, Bibl. lat. med. aetat. Vol. VI. p. 617, et Maittaire, Annal. typograph. T. I. p. 784.) Hallerus (Biblioth. pract. T. I. p. 471) male scripsit anno 1490. Ego vero nec eam novi, nec Panzerus (Annal. typograph. T. I. p. 11) meminit. In nostra editione commentatio isthaec legitur inde a pag. 106—114.

Fuit Tertius Damianus, Vissenacus, Decipolitanus dictus a pago quodam agri Thenensis in Brabantia (Val. Andreae, Bibl. belgic. p. 727), „medicus hoc tempore maximi pretii“ (W. Justi, Chronol. med. p. 148) quamplurimis annis in medicae artis scriptoribus versatus (ita in privilegio), jam inde ab anno 1518 Lovanii, et Romae a. 1524 clarus, sed durus et acer disputator (Theor. med. L. II. 5. p. 36. et 37. b.) medicus Gandavensis, sed litigosus (nominat enim Gandanos collegas durae et obtusae cervicis homines (ibid. Lib. III. 7. p. 103. a.) Hippocratis admirator, Ebn Sinae osor, ut et ob collegarum odium ex Flandria (ibid. c. 28. p. 72. a.) expellendus videretur. Praefatio libelli scripta „ex arce illustrissimi principis Domini Adolphi de Borgundia,“ D. de Bevere prope Veream Zeelandiae, 1540, 17. Cal. Aug.; in fine pure subscriptum „Gandavi“ ideoque quam maxime dubia putanda est editio prior. Ista enim verba „ex tempore quo hoc malum saeviret (Antverpiae et Gandavi. 1529) concinnatus“ aperte excludunt quamque aliam. — G. —

cens, γνῶθι σεαυτὸν. Nam hoc ipsum cum Socrate professus ingenue fateor vix me nosse ignarum me, si quid tamen aptum exibit, quod in aegrorum rem sit, rogo aequum lectorem (non τῶν μωμῶν illum Caesarem), ut boni consulat, et, si libet, comparet cum illis, quae dormienti exciderunt. Nam et aliquando bonus dormitat Homerus. Sane si quid peccatum erit in hanc partem, fatebor et hominem, et labi potuisse me. Quis enim vapulet ob hoc, quod consilium quidem dederit, si aliter, ac putabat, ceciderit, quod Aeschines, Demostheni improperans, veluti Hercules clava retusus, tacuit. Denique sicubi me existimatio mea fefellerit, habeam submonitorem, et occasionem dedero sapienti, ut fiam prudentior. Atque utinam sit, qui meliora doceat, et in commune bonum calamum aptet! Ex hac enim controversia, vel, si mavis, dissensione nascitur pax individua, cui applaudat et rex, et populus, sanus itidem et aegrotus, in commune universi mortales. Utinam, aspirantibus auris velisque secundis, aliquis inveniatur, qui Hippocratem quempiam referat, aut Galenum postliminio alterum nobis exhibeat, qui morbi hujus recentis aut novi et remedia monstret, et exordia edicat, caussasque scrutetur. Multi hactenus medicorum solatia experti fuerunt affecti, at hic veluti prostrati siluerunt omnes, dum tota hominis vita tenui vero penderet filo.

Alius novum ajebat morbi genus, alius vetus, ex Britannicis oris advectum ac subitum, quod hominem internecioni ac tutum mandaret, ac intra viginti et quatuor horas tollat aut liberum servet. Si nobis nova est morbi facies, non ita veteribus. Cur hic tantum silentium, nisi non ille vere censendus est, qui Octaviani imperatoris temporibus, bello Cantabriensi complures confecit et prostravit? Aut si antiquissimo poetae, ac ipsi poetarum patri credimus, Homero, aut illius enucleatoribus fidem habemus, planum est simillimum huic in exercitu saeviisse, dum Troja obsidione premeretur? Ultimo praeterea Rhodiensi [2]) bello constat Turcam gran-

2) Haec conjectura maxime improbabilis et historiae prorsum adversa est. Mirum est origines novi, certe insoliti ac occulti morbi, ab remotissimis saeculis velle repetere, cum res nocentes et causae mali tristis propiores sint, ac putes. Cantabri omnium diutissime Romanorum armis restiterunt (hinc apud Horatium Carm. II. Od. 11, „bellicosus Cantaber," IV. Od. 14. „Cantaber non ante domabilis," et Epod. Od. 7 „intactus Britannus est"), victi tandem sunt ab Octavio Augusto (Sueton. vit. August. c. 20.) per legatos, teste Floro (Epist. hist. rom. IV. 12.) vel bello acerrimo, quod per annos quatuor duraverat, teste Orosio (Hist. VI. 21.

dem suorum accepisse cladem, certe non tam ex bello saevo strictoque mucrone, quam ex huiusmodi malo divinitus forte immisso, quod huic socia arma vel junxit, vel certe ex hac conflatum est, veluti matre, et editum. Nobis inaudita haec forte, ut dixi, malitia et nova est infirmitas, sed mirandum plane, si haec secula illi soli exposita videntur. Magna profecto, si res ita habet, vellicatio, ut nos mortales meminerimus et dictarios. Sunt animalia quaedam diem unum non excedentia, ἐφήμερα appellata, quin ad illorum vitae brevitatem nos metimur, et fastum omnem superbiamque deponimus, ac avaritiam, ceu letale venenum, fugimus.

Habet cognationem proximam cum febre pestilentica, sed in ea parte dissidet, quod in hac calorem illum innaturalem pungentem post longa sitis tormenta vigiliaeque taedia, ut somnus portas pulsavit admitti postulans, infringi ac diminui cernimus, hinc ex spiritibus intus luctantibus et ejaculari conantibus labor exoritur,

---

et Hispan. illustr. T. I. p. 119.). Nam obsidioni diutius tolerandae cum essent impares, se ipsos igne, ferro et veneno necaverunt. Nihil ergo inest pesti Cantabricae simile vel affine sudori anglico, praeter τὸ ἐπιδημικὸν.

Pestis Homerica (Iliad. I. v. 40. seq.) primum tetigit animantia (Dictys Cretensis de bello Trojan. L. II. p. 178. ad calc. Diod. Sic. Conf. Paulet, Beiträge zu einer Geschichte der Viehseuchen. T. I. p. 12. et Orraeus, Descript. pest. Jassiens. et Moscuens. Petrop. 1784. p. 155) deinde, malo in dies aggravescente, in homines versa, plurimos in castris milites perdidit, intactis regibus, ab aere nimis calido et humido profecta, hinc per Apollinis iram ob virginem raptam immissa corporibus hominum est credita. Haec ergo pestis Homerica origine longe alia fuit, alius sudor anglicus. Illa enim magis dicenda est febris castrensis putrida ideoque Thomas Glass (Med. Obs. by a Soc. of Phys. in Lond. Vol. VI. p. 377) eam pro simili epidemiae genere habuit. Sententia de origine sudoris anglici Rhodiensi a Rich. Mead prolata, nihil habet omnino, quo probetur. Ter quidem obsessa est a Turcis Rhodus, primum a. 1310, tunc a. 1455, quo anno multos Turcarum caesos, multos morbo coeliaco consumtos esse refert Ducae (Histor. byzant. Par. 1649. c. 43. p. 183) deinde a. 1480. Neque vero historici speciatim aliquid de quadam peste designatum reliquerunt. In obsidione Rhodiensi ultima a. 1522. (Ad. Vernerius, Epit. rer. Turcic. 1568.) die 25. Dec. dedita Turcis est. Tunc vero „colluvio agrestium et animantium caelum grave morbosque fecit contagiosos, ex putredine animantium insepultorum pestilentissimi mali seminarium factum est, quod post fugam et deditionem vim suam in hostes et christianos saeve exercuit.“ Ita Jac. Fontanus (de bell. rhod. Lib. III, Hag. 1527. Lib. I. rep. in Schard, Opp. T. II. p. 961. seq.) Haec pestis erat dysenteria, quae plus quam triginta millia Turcarum exstinxit, auctore P. Jovio (Turcic. rer. comment. Viteb. 1537.) et Ph. Lonicero (Chronic. Turc. Francof. 1578. T. I. p. 36.) — G. —

ingensque sudor effunditur, qui huic remedio esse perhibetur. Hoc vero novum morbi genus, priusquam suo se judicio cretico demonstret, priusquam hominem, ut sibi praesens sit, moneat, cum gravissimis cordis anxietatibus aggreditur, immeditatumque premit, et totus totus, quantus est, lecto alligatur, qui nimio angore pressus prae poena doloreque mox totus in sudorem resolvitur, occupatis sane et nimium cordi consulentibus membris pretiosioribus, qualia sunt jecur et pulmo, aliisque vel contiguis, vel adhaerentibus. Hunc dum somnus invadit, una spiritus exagitati cupiunt refici quidem, sed, interioribus ita resolutis, faciliter hoc fieri impossibile est. Hinc sudor diminuitur, et morti viam aperit. Perspicuum est igitur invicem dissidere, nec in una sede morari utrumque, licet uterque materialis exitum minetur: at hic omnium citissime tantum abest, ut febris diaria dicatur. In omne hominum genus saevit, nulli parcit conditioni, nulli aetati, nulli sexui, ut vere possimus dicere cum Job: quia manus domini tetigit nos. At numquid emendati sumus? Num quid composuimus mores reprobos, et in meliorem frugem assurreximus? Timendum, ne incipiat nos tam tepidos ex ore suo evomere deus, ad quaevis sanctitatis et vitae innocentioris integritatem nauseabundos et jacentes. Vere mortalium scelera iram provocarunt divinam, quae tanto gravior venit, quanto tardior sese exseruit. Nam quod et ethnici quoque norunt, tarditatem supplicii gravitate compensare consuevit. Non est credendum temere immissum aut natum malum hoc, quod sive dicas hidronoson, sive sudaticum morbum, aut Anglicum, nihil est, nec habet apud me momenti quicquam, rem spectandam potius arbitror, quam nomenclaturam. Dictarius sane est, uno quia die hominem jugulat et aufert. Permissione igitur divina mortalibus immissum credo, ut resipiscant, si non amore justitiae, certe timore poenae. Jam recitari illius diffinitionem par.

Morbus, inquam, est hidronosos subito hominem corripiens, per quem universum corpus sudore perfunditur, adeo, ut totum, ceu e balneo rediens, distillet, ejusque organisatio et temperatura evertitur, cum omnium meatuum tam exteriorum, quam interiorum summa dilatatione, non sine cordis angustia, praesente circa ipsum calore ferventissimo, qui tantus in eo sentitur, atqe toto corpore conceptus est, ut aduri interiora videantur omnia. Vidi, quibus etiamnum detracta sit cutis universa prae calore, et veluti renati post adeptam sanitatem videantur. Sudoris illa immodica quantitas

malorum humorum arguit exsuperantiam, quorum discussio fit caliditate eos attenuante et urente interna, quae quia non cessat continuaque stat, sudorem constanter jugiterque in cutis superficiem protrahit. Neque fieri potest, quin simul facultas vitalis evanescat, cujus majorem partem amissam mors necessario sequitur, morbo praesertim, qui saevire non desiuit, omnes vires explicante, et aegrum jamjam fatiscentem ad extrema vocante. Quod satis velle videtur Hippocrates [3]) hac sententia, qui saepe et multum exsolvuntur sine caussa manifesta, ii derepente moriuntur. Sudor hic num sit e sanguine proveniens sese despumante, cujus meminit Galenus libro de juvamento anhelitus [4]), an ex bile flava seu atra expressus, nondum compertum habetur satis, nec liquet admodum. Ego interim, ut mei judicii sequar vel rationem, vel studium, ausim modeste meam sententiam pronunciare. Dico enim illum esse et colericum, et sanguineum, ex utroque participantem propter praedominans in universo corpore calidum, facultate secretoria adhuc robusta et valida, aequaliter extensum et humorem attenuans, ut prius dixi. Alioqui nihil sensibiliter emanaret effluereturque. Adstipulatur Galenus huic sententiae nostrae de febrium differentiis secundo [5]). Furiosum adsero venenosumque, et peracutum hunc sudorem, quia membra prehendit principalia. Inde accidit, ut continua fluxio, si stulto quodam imperio subducatur, sistatur aut prohibeatur, priusquam sudatum sit satis, cum perniciosum virus intus concludatur, atque desidere cogatur, totis saevit praecordiis, citoque hominem jugulat.

Hujusce morbi si caussas scrutari volumus, duas potissimum inveniemus, aeris ambientis nos undique qualitatem infectam, quem et attrahimus, et respiramus, atque si distemperatus, et pestilenticis humoribus exordinatus (est) noxio toxico imbuimur, quod circa cordis bonitatem illudens et premens facile in cognationem suam sanguinem ducit. Quo pariter infecto, cordis haud raro sequitur extinctio, quod ipsa, qua vegetatur, potiori sanguinis gutta inficitur. Alia hujus mali causa est venenatum alimentum, quia, licet in longa tempora homo vixerit incolumis, nihil arbitratus hinc imminere periculi, tamen, ubi aer ita afficitur, ut respondeat diactae

3) Aphor. 41. Sect. 2. p. 75. T. I. ed. Lind. — G. —
4) De utilit. respirat. c. 11. p. 862. Tom. I. ed. lat. Basil. 1549. — G. —
5) Cap. 1. p. 135. Tom. III. opp. — G. —

malitiae, jam ne Hercules quidem, ut est in proverbio, adversus duos. Animadvertere fas est sane aerem jam admodum infectum esse. Nam cometes [6]) visus, in mucronem desinens et crinitus, vespertino tempore, vere aeris malitiam et impuritatem protestatus est, in quo ignis agens facile spiritum sibi germaniorem calcaribus ursit, et in angustiam diduxit, ut hinc labor interiorum et sudor prae laboris anxietate poris exilierit turbinatimque effluxerit. Visus est denique is idem orientem versus mane quatere jubas suum, stetitque coronis aut cauda illius versus meridianam plagam, spiritu et anima ex aere concepto illo illum inclinante.

Notissimum vero est pestem illic saeviisse crudelissime, ne evanidum [7]) putetur communis rationis extimatio, portendere scilicet aut grassantem, aut saevituram pestem, aut concitandos in bella populos, aut famis grandem inediam subituram. Vereor, ne anni istius status non respondeat votis plurimorum. Nam deliquium, quod instat, lunae tetra terrae minatur vestigia. Dii bene vertant! Sunt fortassis et aliae causae non irrationabiles, quae testari queant, unde furiae infernales universas in terris ignitas excusserint comas, nimirum si jam calvae, emissis colubris, sint, in ardorisque vehementiam homines conjecerint. Sed has aliis post me commemorandas relinquo, saltumque hunc concedo lubens. Sunt tamen sannis suspendendi exsibilandique Noti, qui opinantur, sed caecutienter, morbum hunc non esse contagiosum, nec ad alios posse transire ex convictu aut contactu similive de caussa, asserentes ortum habere ex metu: Quorum falsitas deprehendi queat vel ex medioximis. Nam si ita se res haberent, essent indicia quaedam morbi adventum contestantia. Nunc non meditatum, non vellicatum vel tenui admodum fastidio, lassitudine, nausea, clanculo aggreditur, et certamen instituit, at primus congressus veluti vago fit milite, insultimque nunc ad arcem Palladis decurritur. Qua in potestatem redacta, portarum expugnantur exitus, ventriculi videlicet orificium, venarum meatus, stomachi patens hiatus, jecorisque demeacula [8]), capta denique hu-

---

6) Meminit hujus Cardilucius (Histor. Exempel von Cometen a. 1529. p. 119), Alstedius (Thesaur. chronol. n. 55. Chronolog. Comet. p. 511) et J. Garcaeus (Meteorologia. Witt. 1568. c. 8. p. 50. b. c. 19. p. 69. b.) — G. — (Conf. quoque Schnurrer, Chronik der Seuchen, II. p. 79. — H. —)

7) Leg. evanida. — G. —

8) i. e. itinera, emissaria. Alio sensu (Theoric. medic. L. I. P. II. c. 1.

mana urbe, perversus serpens incendia jactat, Vulcanus ardens urit officinas, et interiores gazas depascit igne, frustratur medicorum ars, experientia jacet, homo bulla luctantem nequicquam animam exhalat.

Dicet mihi quispiam multos restitutos fuisse incolumitati, qui commode fuere habiti. Fateor et expertus sum dexteritatem plurimum praestare adjumenti, interim pestis contagionem evadunt alii minus sedulo tractati, aut posthabiti et neglecti, ut saepe est cernere, alii vero medicorum auxiliis, pharmacis, antidotis, et quibus non rebus adjuti nihil promovent. Concludo, novit dominus, qui sint sui, alios e carcere liberatos corporis hujus evocat, alios captivos reservat.

QUIBUS SANITAS CONTRA HANC LUEM TUENDA EST.

CAPUT II.

Addivinata morbi notione, par est, ut ostendamus, quibus phalaricis [9]) hunc a nobis protelemus. Non enim sufficit hostis expendere vires, ni etiam nostras comparaverimus. Dicerem (quod semper fecit Demosthenes) nullum tutius remedium fuga, si et ea usque tuta foret, at hic carnifex tantis parasangis praecurrit, ut, priusquam tutos nos arbitremur, ille praevertat et cursum impediat institutum. Totum pene orbem hujus incendii odor venefico suo contagio pervagatus est tam teter, ut ex averno accitum credatur, terque quaterque pestiferum monstrum. Sive sit hoc malum enatum in capita hominum scelestorum, sive puniendis humanis erroribus, seu quavis alia occasione mundum pressit, non est mei judicii, nec cadit sub censuram meam. Unde vis ortum habeat, certe propitiandus est nobis deus, ut averruncetur a nobis, et piis operibus ambiendus, ut exsertam manum suam contineat, praestans poenitentiae locum et vitae examinatioris remedia sufficiat, quibus incolumes consistamus, mundo corde et manibus innocentibus thus orationis et sincerioris vitae illi offerentes. Ad hunc nitorem avocabitur ira illius, admisso intra divinitatis suae penetralia, incenso

---

p. 23. b.) dicitur demeaculum temporis pro spatium temporis. Apud Apulejum (Metam. V. p. 174. ed. Elm.) „nuptiarum demeacula“ memorantur. — G. —

9) Phalarica est lancea magna (Du Fresne, Glossar. med. latinit. T. V. p. 279. ed. Hal.). Hoc loco pro praesidia. — G. —

omnium odorifero, fugatoque, quod furiit, monstro inque abyssum relegato.

Ubi tali velitationi satagerimus, tum medicorum sunt consulendae rationes, tunc corporis tutela illis commendanda, ubi spiritum vitalis unda poenitentiae laveris, et omnia inferiora confiteantur Domino, quia bonus, quoniam in seculum misericordia ejus, simulque animadvertendum est in gulae illecebras, et modus debitus est servandus, parceque vivendum duriter, ut inquit ille, ne otio et desidio torpidi in veternum cadamus.

Ad victus itaque rationem dextre absolvendam corporis constitutio consideranda est, ut secundum hanc alimentorum qualitas concinnetur, consideranda aetas, ne nimium validis, humidis aut aliquo succo venenoso tinctis opprimatur, item regio, ne sit gravi aere septa, aut perpetuis aquilonibus obnoxia, aut aliis noxiis, lacubus tetrum exhalantibus contigua. Ante omnia consuetudo, quae in naturam vertitur, est perpendenda, ne exorbitet, ne a semel arrepto scopo mentis aciem avocet, et si sit vitiata, refici debet ac melioribus imbui. Insuper anni tempus ponderandum, ejusdem constitutio, ut ad horum qualitatem et cibi competant commodiores, et quantitas non excedatur. Galeni est proprium haec scutari, et in pluribus locis eorum meminit, quae hominem circumstant externa, quorum tum cura, tum consideratio non intuenda venit, quam eorum, quae intus et in cute latet. Eodem contendit Hippocrates in plerisque suis sententiis, libro praecipue de aere, aqua et regionibus. Ceterum cum exacta victus exhibitio in se contineat solidam sex rerum praeter naturam curationem, deinceps harum mentio habebitur.

Quisquis igitur sanam vitam cupiat degere, et sine gravi aetatis detrimento ad ingravescentem senectutem commeatum sumere (quid enim non dicam sanitatem commeatum, cum illa quavis pecunia, quibusvis opibus pretiosior sit, et senectutem suo pondere gravem et morbis plenam leviorem efficiat portabilemque?) curet, nebulosum ut fugiat aerem, atque ne, ventorum conflictantium rabie saeviente, corpus lasset. Nam cum semper periculosa sit immodica exercitatio, hoc praecipue tempore vitanda, sit igitur exercitatio pro corporis subsistentia, non ut dilatetur, aut turgeat. Denique hi admissi venti ut quidam implent, ita nimium humectum reddunt corpus, et ipsum in putrilaginem detrudunt. Nam pori, ut vocant, corporis per nos aperti crasso aere, spiritibus ac succis vitalibus

inimico, implentur, unde fit, ut sedibus spirituum vitalium occupatis, caeca illa exspiratio prohibeatur, et calor vegetativus obruatur, qui cum constanter augeatur, ad innaturalitatem atque furorem deviat, inde habitum alium, mentitum et degenerem induit, quo sibi caetera generosiora membra devinciens in eandem conjurationem pertrahit, qua totus pereat homo, vel ad minus in debilitatem concidat, et vel febriens in mari, vel exsuccus in arido animam ponat. Nam, aucto ad summum humore tetrico, virtute expultrice forti, superfluis attenuatis humoribus, tam conspicuis, quam intra penetralia latentibus, dilatatis meatibus, sudorem cogit mox vehementem extruditque, atque cum poëta

Tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit, sudor fluit undique rivis,

qui subito, nisi caute prospiciatur, jugulat. Tales igitur ventos talemque aerem fugite, et foribus occlusis fenestrisque, domi vos continete, quousque sol exortus, quae nox, malis humoribus amica, terris aggessit, vel in aere suspendit, perpurgarit, ac, ut ait ille,

Humentemque aurora polo dimoverit umbram,
Serenumque illucescat, ac faciem formosus Apollo
Exseruerit.

Nemini dubium, quin nox coelum polluat. Summopere etiam curandum, et quasi in pestilentico esset discrimine satagendum, ut fenestrae et loca quaeque, quae versus septentrionem vergunt, commutentur et eo tendant, unde pura et defecata aura admittatur. Si vero domus situatio hoc neget, curandum sane, ut aliquo remedio illi succurratur, ut habitationis aura pura efficiatur. Oportet igitur, ut dixi superius, clausis stare foribus, quantum licebit, et per totam domum quam odoratissimis sparsis aerem illum nocturnum vel flamma, vel suffumigio odorifero exigere ac curare, ut omnis illuvies expurgetur, quae tetrum odorem invehit, et spiritibus subtilioribus occurrens retardat, ipsum cordis fontem inficiens, et ad pestem saevientem veluti praeparans. Denique construendus est ignis [10]), qui ad purgandum aerem vel maxime conducit. Mirum,

---

10) Hoc aeris noxii remedium pervetustum primus commendasse dicitur Acron, Agrigentinus (Plutarch, de Iside, p. 383. Tom. II, opp.). Summi id aestimabant pristini medici ad pestis profligationem, nec tamen id jure. Nec enim in peste Tolanensi, a. 1721 (Antrechaus merkwürd. Nachricht. v. d. Pest in Toulon, übers. von J. A. Reimarus. Hamb. 1794, c. 22. p. 177) nec in peste Moscovi-

quantum letalis noxae inferat cordi interaneisque, si veternosum externum aerem mane odoremur. Ignis vero natura est aut subtiliorem reddere aerem, aut, quod nocivum est, consumere, qui in omnibus vicis construendus, ut aer tenuetur aut emendetur. Nam relictum nebulosum quid aut nubilum laedit, et generi humano adfert perniciem gravissimam, cum aer crassus ambiat nos, et in illo veluti volutemur agamurque, et nonnunquam, ubi sibi conformia nactus est, illic sese insinuat, et letale vulnus infligit.

Hic insuper herbis humum, aut pavimentum spargite. ℞. Ros. Viol. Amaraci, Thymi, Libanotidis ana partes aequales, verum si recentes inveniri nequeunt, aqua decoquito, solumque probe versum harum decocto perfundito. Divitibus vero, qui salutem suam majoris facere solent, sit hujus loco aqua rosarum tepida. Praeterea suffimentum ex pulvere gariofillorum non spernendum, cujus nidor aeris virulenti vincit insidias, ejusque mirabilis est corrector, et subinde vires ejusdem frangit et enervat saevitiam, ac corporis spiritus evocat, blande, et dulce spirare facit. Juvat denique eodem jusculo aut decocto, etiam aqua rosarum manus et faciem reliquasque extremas frequenter abluere ac veluti irrorare. Competit et horum suffitus. ℞. Macis, gariofilorum, ligni aloes, granorum tinctorum, croci ana ʒβ, galliae muscatae, nucis musc. asari, cipri, been alb. et rub. cort. citri, calami aromat. cinnamom. coriandri ana ʒj terantur, addantur vernicis, laudami ana ʒj masticis, stiracis, terebentinae ana ʒj ex quibus cum pistillo in mortario calido diu agitatis et concussis fiant trocisci, quorum unus projiciatur mane, etiam vesperi, in ignem: Amaricinum enim tibi spiramentum vitalibus amicissimum reddet. Qui tenui sunt fortuna, quibus domi curta suppellex, praedicti loco thure utantur. Aliud, cui miranda vis inest, quod aeris corrupti contagem absumens ejus odorem halitumque spurium et foetidum quam commode abigit. ℞. Ros. rubr. cipri, sansuci ana ʒβ, sandali, cinnamomi, gariofill. macis, spicae nardi ʒjj carbonum ligni salicis aut tiliae ʒjjj thuris, mirrhae, masticis, stiracis calamitae, laudani puri ana ʒjj frientur, ut prius. Addi huic potest, si libeat, modicum musci aut ambrae ad majorem odoris delectationem. Verum si non bene cohaereant, addatur modicum de musci lagine gummi arabici. Quibus negotiatio

---

tica (Car. de Mertens, Observ. med. Vindob. 1778, c. 4. p. 177) aliquid ignium incensionibus effectum est. — G. —

foris erit, odoram hanc sphaeram in manu secum deferant ℞. Stiracis ℥j laudani ℥jj masticis ℈j nucis musc. macis, gariofill. croci, cinnamomi, ligni aloes ana ℈β ambrae griseae gran. vj musci dissoluti in vino odorifero grana jjj, commisceantur, ut supra dictum est, et fiat sphaerula sindone operta. Inveniuntur tamen sues aliquot, qui malint in volutabro luti mersi voluptuari, quam ad remedia potiora animam advertere. Hi sinendi sunt, veluti dignum patella operculum nacti. Fortasse ejusmodi est ingenium, cui non, nisi similia competant, quemadmodum Crasso semel in vita ridenti accidit, asino carduos edente. Dignas habent labra lactucas, inquiebat admirator tam severus. Radix etiam zedoariae masticata, ubi clarum mane emerserit, laudatur, quibus et ego fruor nonnunquam et usus sum, hinc totius diei commodum referens admodum tenue. Nam malo huic objectus sensi, quam vere sit dictum, praestare infirmitati sanitatem cum brevi recula [11]), quam Croesi divitias habentem aegrotum tegere, levius tamen tuli, ac plurimi, qui fortasse operosioribus usi medicaminibus ad vitae calcem pervenere. Etiam si sit vulgarior cibus, quam ut laudem mereatur, tamen butyrum recens cum pane rutave, mane non dissuaserim (nam venenata quaelibet aufert, adjecta salvia), verum interim a Baccho abstinendum arbitror, vehementi nimium agitatore. Nam prodromus plane est, et futurae furiae locum furiendi relinquit, atque venenato aeri faciliorem praebet transitum corporis meatibus patentibus, in quibus admissus aer pestilenticus sese colligens major jam se ipso evadit, et lucta fit fortior. Qui vero certare minime sunt assueti, glutiant theriacae plusculum, aut metridati, aut electuarii tyriacalis cum modico vini aut aceti, pueris vero aut tenuioris stomachi adulescentulis sola conserva rosacea cum modico vini vel aceti ad malum aerem propulsandum sufficiat. Pauca haec de aeris salubritate commenti jam sumus. Ceterum si exactiorem quis requirat disputationem, alio illum demerebimur tempore.

Praetereundum minime est, aerem hoc tempore ad siccitatem esse immutandum. Quid aestivo tempore faciendum, fortasse dicerem, nisi et prolixius esset, et hoc calamitoso tempore foret maturandum; alias hac de re disputabitur. Nec sum usque adeo lethaeo gurgiti immersus, ut Mnemosynen meam desiderem, suffectu-

11) i. e. res parva. (Gloss. script. med. aetat. T. V. p. 624. ed. Hal.) Eodem modo apud Apulejum legitur diecula. — G. —

ram ea, quae me fugerint, ut nesciam diversas corporis constitutiones, diversa item aeris temperacula desiderare, et e diverso. At praedictae artificialis aeris transmutationes cuivis conveniunt, plus uni, minus alteri, juxta cujusque naturam, vel in malum proniorem, vel bonum. Decet unumquemque se ipsum metiri, ne (quod dicitur) ultra crepidam sutor. Jam ad reliqua.

Quae sit aut esse debeat victus ratio infelicissimo hoc tempore dici, quoties et ad quantam quantitatem, superest, ut dicamus. Qui igitur sani et quam feliciter agere cupiunt, nec hoc infici malo, optimos sibi cibos deligant et apparare studeant. Nam, vel Galeno teste, mali ac pravi cibi malos atque pravos gignunt succos. Sit panis ex selectissimo mundissimoque tritico levis, aqua pura confectus, aequo tempore coctus, duorum aut trium dierum et non sit mucidus, aut qui antiquitate induruerit, caro omnis suffita aut sale diu macerata, suilla, omniumque animalium, quae in aviariis vivariisque sacinantur, et aves aquaticae contemnentur. Verum ista scribimus sane illis, qui queant adire Athenas (quod non cuivis contigisse est scripto relictum posteris), quos plus aequo amavit Jupiter, et aureo compluit imbre, non tenuibus salsamentariis imbutis, non pauperibus, nisi forte apiciis cupediariis, lurconibus, helluonibus, quadralingis [12]), qui diversis missibus gulam irritant, ac renovant appetitum. His competunt ceterisque omnibus, quae sequuntur, phasianus, turdus, silvestrium omnium gallorum genera, palumbes, perdices, aviculae omnes silvestres, lepus juvenis, capopullaster, vervex, hoedi, vituli lactantes, sorbilla [13]) gallinarum recentia, omnia tempore salubria sunt. Pisces omnes insalubres, ii maxime, Averroe teste, qui limoso lacu aluntur, post hos secundum gradum maliciae obtinent salsi aut fumo durati, verum tamen qui superstitione quapiam aut sui ostentatione esu piscium delectantur, domi praecipue, foris vero ciborum delectum negligentes, eligent squamis praeditos, saxatiles et fluviales recens captos, vino et aceto cum lauri foliis, salvia, libanotide, mace, nuce muscata, suaviter lento igne et diu coctos, calidos etiamnum edent, laedunt non parum frigidi esti, assi tamen plus conducunt, quam aqua cocti. Sed quid his gulae instructoribus piscium apparatum praescripto

12) Vox nove facta, ab quadra i. e. pars quarta, et germanico lingen i. e. lecken, ad significandum strenuum potatorem. — G. —

13) Sorbillum est jusculum, haustus. — G. —

commonstrem, cum hoc sit candelam lucidissimo soli accendere, aut ligna in silvam portare? Sunt enim in hanc partem ingeniosiores, quam expediat, ad cetera stolidissimi, et inertia terrae pondera, crassiculi et bene curata cute, Epicuri de grege porci. Tales apud Italos multos reperias, apud nos vero plures', quam par sit. Absit, ut incessam bonorum religionem, qui virtutem carnis privatione consectantur, ut illos digito indico, qui non ex ipsa re virtutem, sed in re ponunt. Alioqui et caro est piscium, quod receptum est omnibus vel mediocriter doctis, et non raro plus castitati insidiatur, quam terrestrium animalium ratio. Qui tamen hanc victitandi rationem ponunt, ubi nulla urget necessitas, hi condemnandi sunt, non quia a carne abstinent, sed quia fastidium vitant, quasi naturae non sufficiat levissimum alimentum.

Fructus praeterea nullos probo, nec crudos, nec coctos. Nam omnes stomacho inimicantur, et putrescibilem corpori succum concinnant. Vino, eoque antiquo et meraco, et quod leve sit, et generosum, potius quam cerevisia[14]) utendum. Nam vadit in venas, et cum spe divite manat. Verum quod meracius forte obtinet possidetque temperaculum, per aliquot horas ante bibitionem lympha modica diluatur, hujus tamen nec jejuno ventriculo laudarim bibitionem. Tempus prandii aut coenae, quoties et ad quantam quantitatem, assuefactioni committimus, verum tamen sit prandium coena largius, non tamen immodicum. Ait enim Hippocrates[15]), non satietas, non fames, non aliud quippiam bonum est, quod naturam excedit.

Nunc de exercitamento, quod minime negligendum est illi, qui sanus degere malit, quam aeger, nec huic se credet quispiam, nisi aere nubilo densoque, a solaribus radiis perpurgato, et ante coenam, sit tamen viribus aequum, ne nimia lassitudine corpus conficiatur. Hocque praeceptum iis sit, quorum corpora sunt munda. Nam sordida spuriis succis oppleta purgamentis prius dilui purificarique oportet, quod ab hac lue maxime hominem tuetur. Exercitentur igitur, vi-

---

14) Damnat auctor cerevisiam belgicam sine dubio, propter levem coctu ram et hinc oriundam ventris inflationem. Ita Jo. Curio et Jac. Crellius (de conserv. valetud. opusc. p. 73. b.) „Coytam Hollandiae" ut noxiam rejiciunt. Civitatis quoque Monasteriensis incolae cerevisiae genere, „Koite" appellato, utuntur. — G. —

15) Aphor. 4. Sect. 2. p. 72. Tom. I. ed. Lind. — G. —

dendo oculi, stando dorsum, loquendo et cantando pulmo, inambulando pedes et crura, totum corpus saltu aut cursu, vel, ut vult Galenus, sphaero ludo. Cibo recens sumto, nulla sit corporis fatigatio, deambulandum leviuscule aut standum, ut melius atque facilius acceptus cibus in fundum stomachi descendat (nam id loci perfectior fit decoctio post duas aut tres horas a commestione ad praedicta exercitamenta, pro consuetudinis tamen ratione, properandum.

Insuper de somno et vigilia. Vigiliae et somnus si immodice fiant, non solum ad hanc aegritudinem verum et ad quamvis aliam corpus propensum faciunt. Audite Hippocratem [16]): Somnus aut vigilia si alterutrum modum excesserit, malo est. Nam ille, quemadmodum et quies, crudis humoribus corpus adimplet. Haec haud secus, quam immodicum exercitium id exhauriens, ac deurens bilem [17]), hujus morbi fomitem generat. Utrique ergo justus adhibendus est modus, idque tempore convenienti. Diurna dormitio omnino fugienda, animi praeterea jucundae affectiones miram utilitatem adferunt. Nam acerbius affligentes affectiones, ut ira, timor et similes explodendae. Quibus et concubitus modum excedens, annectitur, ante omnia tamen consuetudo semper ante oculos habenda.

DE MEDICAMENTIS AB HOC MORBO PRAESERVANTIBUS.

CAPUT III.

Nam in medicaminum usu praedictorum omnium exacta habeatur ratio, siquidem, his neglectis, et dicta et dicenda nulla erunt. Inprimis igitur corporis impleti alvus medico auxilio ducenda est ipsam ab humore corpore oneroso exonerando. Nam mirum est, quantum competat alvum semper habere laxam. Ceterum non modo medicamentis purgantibus corpus utendum, verum etiam quibus et id usui esse solet, matutinali aestuarii aut balnei ingressione semel in hebdomada corpus purificandum. Itaque a feralibus agrestibus et superfluis succis purum servabitur, harum denique pilularum usus

16) Aphorism. 3. Sect. 2. p. 72. Tom. I. — G. —

17) Hac de causa factum est, ut non pauci medici sudorem anglicum referrent vel ad febrem biliosam, vel ad causum spurium; v. c. Guern. Rolfink et C. Hofmann (de febr. c. 52. p. 317 et c. 54. p. 324.) — G. —

efficacissimum corpus ab hac tuendo aegritudine praebebit remedium. ℞. Turbith, rad. ireos, myrrhae, croci ana ℈β aloes vino dilutae ℈j, terantur vino, ac excipiantur odorifero, et fiant pillulae v, harum una devoretur alternatis diebus. Eximia harum virtus est, ab aquositate sanguinem purgant, et a putredinis injuria corporis succos praeservant, vim vitalem corroborant, corpus universum ab humoribus citae putrefactioni obnoxiis ac venenosis vindicant. Nam qui repletiores erunt, duas simul transglutire non timeant. Harum loco alii laudant pilulas Ruffi. Cordis denique regionem usque sub sinistram acellam [18]) oleo balsami optimo oblinunt, et recte. Qui firmioris erunt aetatis, praedictis purgamentis addant venae sectionem, prius tamen bene perpurgato corpore. Praeterea priusquam domo quis egrediatur, mane hujus electuarii accipiat ʒjj cum parte panis vino diluti. ℞. Fragmentorum smaragdi, rubini, iacinti [19]), granati, carabae, ana ℈β, ossis de corde cervi, unicorni ana ℈j, auri et argenti purissimi friati ana ℈β, ambrae grana tria, cinnamomi electi ʒjj, rad. tormentillae, rad. diptami [20]), rad. enulae campanae, sandali rubei ana ℈jjjj, rasurae eboris ℈jj, spodii ℈j, terantur, et cum saccari debita quantitate et vino fiat electuarium in tabulis: vel cum duplici quantitate saccari ad pondus aliorum fiat pulvis, quo utatur, ut dictum est. Nam haec omnia cum ceteris praescriptis loco de aere mirum in modum hominem ab hac perniciosissima lue tuentur, aut saltem si quis ea prehendi vitare nequeat, non vehemens, sed levis ac sine periculo cruciatus erit. Nec video cur Notus [21]) laudet acetum epotum, in quo prius diluta fuerit (ut

---

18) i. e. axillam. Scribunt etiam hujus aetatis medici acella, ascella, ascilla, axella, assellia, assella. Hinc assellata vena pro axillari ap. Constantin. African. (Commun. loc. II. 12.) — G. —

19) i. e. hyacinthi. — G. —

20) Pro diptamni. Conf. J. E. Geieri Dictamnographia s. brevis Dictamni descriptio. Francof. et Lips. 1687. — De vi ossis de corde cervi v. J. A. Graba, Elaphographia. Jen. 1667. c. 18. p. 231. seq. — G. —

21) In hunc collegam (Theoric. med. I. 9. fol. 17b.) vehementer invehitur, eumque nominat medicorum ex arte quaestuosa viventium facile principem et coryphaeum: „Hujus scelestissimae sectae," inquit, „te principem, Note, nemo non novit, cujus oculos indomita cupiditas praestrinxit: mentem vero insatiabilem semperque famelicam auri sacra fames constanter fovet. Proindeque nunquam non tuis loculis, marsupiis, aerariis, consilio ades: auxilio ne muscae quidem: et interim tamen, venefice, scelerose, impie, crudelissime, aequalium civium carnifex, te medicum dici gloriaris." — G. —

vulgo vocant) hyemalis, cujus herbam nonnulli vocant malvaviscum[22]). Mihi potius ridicula videtur persuasio, quam medicamentum. Haec sunt, quae praesidium aliquod monstrare queant, si quis legitime utatur, et scio, et novi divinationem hanc esse verius, quam professionem medicam, ut fit in morbis incognitis, et qui aetatem excedant hominum, si forte quandoque nostras habitaverint sedes. Sed, ut praedixi, malui humaniter meam fateri ignorantiam conjunctam sacculo descendenti e caelo, in quo me ipse novi, quam defendere aut tueri partes iniquas rei desitae apud nos et e medio sublatae. Jacet etiamnum Noti et Empiricorum ars isthic omnis, et nisi e vicinioribus remedia nulla comperiuntur. Conjiciendum ergo fuit, et quam erat possibile, proximiora sumenda. Quod si facimus minus, quam pro re decuit, sollerter laudanda est voluntas, non incusanda studii successio, aut labor quasi irritus insibilandus.

DE HUJUS MORBI CURA.

CAP. IIII.

Hactenus de iis dictum sit, quae nos ab hoc ferali malo tueri possunt. Jam deinceps ordini consentaneum est pro nostra facultate declarare, quomodo et quibus curandi sunt ii, qui eo retorquentur. Primo tamen dicamus, quomodo diversos diversi mode adoriatur. Nonnullos igitur invadit cum frigore et tremore, cum nervorum convulsione tam in brachiis, quam in cruribus per vices ambulantes, maxime post solis ortum. Hi domum sese conferent, et ante ignem exutis vestibus cubantes, non humi, nec sub dio, sed inter stragula immoti sese continere curabunt. His difficulter (pituitaceos volo) sudor erumpit, quare a morbi initio mox ac subinde hoc exhibendum est poculum, quod sudorem diffundere copiosissimeque mejere facit. Nam in omni morbi hujus specie sudoris vel mora vel absentia haud parum nocet. ℞. Spicae utriusque, squinanti[23]) centauriae, sticados[24]), camomill. ana p. j, calamenti Mj

---

22) Apud Gersdorf (Wundarzneik.) leg. malvaviscus, schleimerig, bappelen, apud Jo. Bachanell. (de consensu medic. p. 939) althaea, vulgo malvavischio; ap. Apollinarem (Manual-Büchlein vor allerhand Gift u. Wunden. Strasb. s. a.) „nim bappelkraut vnd malva visci, ist auch eyn bappel.“ — G. —

23) i. e. Junci odorati. — G. —

24) i. e. Stoechados. — G. —

sem. anisi ℥j. maratri, coriandri, carvi ana ℥β. cicerum rub. Mβ. caricarum siccarum numero sex, tamarindorum Mβ. rad. zedoariae ℥jj. macis ʒjj. nucis musc. ℥jβ, decoquantur secundum artem in aqua foeniculi et scabiosae, adjecto modico vini. De hoc decocto bibat ℥v addendo pulveris radicis diptami bene triti ℥j. Syrupi de Bezantiis ℥jβ. misceantur, fiat potio, quae calida exhibeatur aegro, idque in morbi initio, ut dictum est. Quod si hoc aut simili medicamento sudor non emanarit, aestuarii calore tentandus. Quodsi nec sic, profecto mortis suspicio habenda est. Nam propter humoris crassitudinem corporisque obesi soliditatem et facultatum naturalium debilitatem, venenum intus membra principaliora infestans concluditur. Maximus denique calor haud procul a corde sentitur, qui ad cerebrum devolans delirium adducit, internecionis nuncium. Nec quenquam vidimus ita delirantem restitutum incolumitati.

Flavabilariis vero plerumque inter stragula hoc malum prorumpit, mox a principio omnibus aequaliter calentibus membris sudorem habundanter discutientibus, quo universum corpus seu aqua immersum perfunditur cum alvi solutione ac lotii haud modica ejectione in ea morbi specie, quae curatum itura est. Ceteri in extremitatibus puncturis retorquentur dolorosis, cordis eos premit angustia, anhelo subinde spiritu molestantur, extremitates obstupefiunt, dolet orificium ventriculi, nervorum contractiones nascuntur, plantarum pedumque dolores. Aliis mox tument manus et pedes, aliis facies, quae et in pluribus livet; nonnullis sola labia et superciliorum loca, mulieribus etiam inguina inflantur, neque satis sudatum censetur, donec sanguis rursum a cordis regione ad extremitatum venas defluat, lividitas abierit, et extremorum tumor subsistat. Quae si octava aut nona hora a morbo incepto contingant, praecipuum salutis indicium fuerit. Curandum insuper haud negligenter, ne aeger nimis diu aut vi detineatur in lecto, aut nimis stragulo opprimatur. Nam hoc multos jugulasse, compertum habui.

Cura sic se habet. Cubiculi aer igne ex lignis phagi, juniperi aut vitis ad moderatam caliditatem et purificationem exactam commutetur, curando summa solertia, ne per domus spiracula frigiditas aegrum infestet; linteolis praeterea calidis aegri caput et collum tegantur, insuper si lecto decumbens sese de loco in locum movere tentarit, assistentes quam diligentissime illi auxilio esse debent, comprimendo in lateribus lecti stragula, ne aer intus spiret, qui suo alioqui frigore horrorem facile excitaret. Denique suffimenta fiant,

Wecholterbeer *a*), Neglin, Muscatennüss, muscatenblumen, ymber, zytwar *b*), yedes j quenten, osterlucey, Encian, Tormentil, Dictam, Alantwurtzeln *c*), yedes zwey dritteyl eyns quintins, Salvey, Wermut *d*), Bachmyntz, Lorber, Sawrampffersame, Citrinatapffelsamen, Mastich, weyss Weyrauch *e*), kleine Basiliensamen, geprandt helffenbein, schab von helffenbein, schab von Eynhorn (wo es yemant hette), rot Corallen, Creutz auss eins hirschen hertz *f*), Paradeissholtz *g*), Sandelnholtz, all dreyerley *h*), yedes ein halb quinten, Perlin, Doronici, (ist ein wortzel *i*) in der apotecken), Saphyr, Smaragten, yedes ein drittheil eines quintins *k*), Rosenzucker, Boragenblumenzucker, Ochsenzungenblumenzucker, weisse seeblumenzucker (die blumen *l*) schwymmen auff den seen vnd deichen, halb den Rosen, halb den Lilien ehnlich), Sawrtatteln *m*), Venedischen theriack *n*), yedes j loth, guten hutzucker ein pfundt vnd ein viertheyl eins pfundes, Rosenwasser, Sawerampfferwasser, ydes so uil, das genug *o*) ist die gepuluerten stück sampt dem zucker zu einer *p*) Latwergen zu machen. Wann es *q*) heisse zeit wer, sol man vj gerstenkorn schwär *r*) kampffers in die wasser *s*) zerlassen.

Diss ist, wie gesagt, ein köstlich sicher Artzney[5]) wyder die vergifftige feulung des geblüts, das hertz zu stercken, soll einer des morgens dreymal in der wochen, so gross, als ein halb gute castaney *t*), nemen, die stück so darin geen *u*), findet man in den Apotecken schon bereyttet *v*), sonderlich die edelgesteyn, welche ein eygen vnd sonder art haben, wie man sie zureiben vnd bereyten sol, dem gemeynen man vnbewust, vnd sint vmb ein liederlichs *w*) feile.

---

a) Wachholter V. — *b*) Zeduar V. — *c*) Alatwurtzeln G. Alatwurtz V. — *d*) weynrute V. — *e*) weyrach Gorl. — *f*) aim hirsch hertzen G. et V. — *g*) Paradisholtz V. — *h*) drierley V. — *i*) Wurtzel V. — *k*) In exempl. Gorl. additur guldene vnd silberen folien, yedes vj in der zal. — *l*) seind weiss, schwimmen G. — *m*) saurdacteln V. sawerdacteln, in der Apotecken Tamarindi genant G. — *n*) triackes G. — *o*) gnug V. — *p*) eynem V. — *q*) Wans V. — *r*) schwer V. — *s*) in den wassern V. et G. — *t*) castany V. als ain halb Cöstnitz G. — *u*) gan V. — *v*) bereyt V. — *w*) vmb

---

5) In margine nostri exemplaris adscriptum est: „rusticum, inquit, D. Hayn, hunc Theophrastum Paracelsum hospitio aliquando excepisse, muneris loco illi a Theophrasto communicatam esse hanc antidotum.“ — G. —

Ob aber yemant den kosten vnd mühe nit wolt oder kündt an solch artzney wenden, der mag vergnüget sein mit den gemeynen Pillen *a*), die man also machen mag. Nym des ausserlesen Aloes *b*) j loth, Myrrhen, Saffran, yedes ein halb loth, menge diese stück vorhyn gepuluert zusamen, mach eyn hart teyglin *c*) mit guttem weyn, dauon nym allen morgen oder vber den andern tag drey Pillen, wie ein erbis *d*), faste daruff *e*) jjj oder jjjj stunt, also auch nach den obgenanten Pillen vnd Latwergen.

Es mag auch der mensch, den die obgenanten Artzney zu machen verdreusst, dreymal in der wochen dauor *f*) ein gut halb quintin gutes Venedischen theriack *g*) nemen, sonderlich im wintter, vnd sunst kalter zeyt, oder wann der mensch ein kaltt *h*) flegmatische complexion hette. Den hitzigen wolt ich nit rathen, das sie sein *i*) stets brauchten, sonderlich in heisser zeyt, es wer dann, das sie jn mit sawrampfferwasser oder mitt Rosenzucker vermengt eynnemen. Was ich vom Theriack gesagt, sol auch von dem *k*) Latwergen, mitritatum *l*) genant, verstanden werden. Dann es ist auss den Historien kundig, das der Künig vnd artzt Mithridates, von welchem, als ersten zusammensetzer dieser artzney jren namen hat, keynner gifft kunt sterben, da er von den Römern vberwunden, vnd selbst *m*) damit gern hette *n*) den todt anthon, darumb das er mit solcher artzeney vorhyn bewaret, der gifft gepfleget, vnd sie jm, als sein speyse *o*) vnschedlich gemacht hat. Diss soll aber ein yeder gewarnt sein, wer Theriack oder mithridatum *p*) genommen hat, sol V stunde daruff *q*) vasten.

---

ain zymlichs fayl Gorl. in quo haec verba sequuntur: „Man mag auch solche küchlin beraytten lassen. Nymm Specerey von den edlen stainen nach der beschreybung Mesue jj quintlin, Canneel, Dictami, Tormentil, Doronici, yedes ain halb quintlin, Creutz auss aim hirschhertzen, Perlin, yedes ain drittail j quintlins, zuberayten roten bolus jj drittail ains quintlins, des besten zuckers xjjjj lot. Der zucker wirdt mit sawrampfferwasser gesotten, vnd nach der apoteckerkunst mit der specerey in küchlin gossen.“ — *a*) Pillulen G. et sic semper. — *b*) aloes V. — *c*) deiglin V. — *d*) wie erbis V. — *e*) drauff V. — *f*) dafür V. — *g*) triackes G. et sic semper in seq. quintin Venedischen Theriack V. — *h*) kalte V. — *i*) seyn V. — *k*) der V. — *l*) mitridatum V. — *m*) jm selbs G. jm selbst V. — *n*) het V. — *o*) speys V. — *p*) mitridatum V. — *q*) stund drauff V. —

Die armen leuth sollen Rauten zubereyten, bolus oder gesiegelt erde *a*) in der Apotecken kauffen, vnd alle morgen oder ye vber den andern tag dauon j quinten in weinessig zu sich *b*) nemen.

So nu der mensch sich recht nach diessem regiment heldet *c*), vnd zymlich ysst vnnd drinckt, hab ich keynen *d*) zweyffel, Got werd jn für *e*) solcher seucht *f*) genediglich behüten. Darum sollen die Schwelger vnd fresser gewarnt sein, das sie nit mit jren rohen leben, wann sie diesser artzney brauchten, vnd nit hülffe, die waren vnd werden kunst der Artzeney lugenhafftig vnd verechtlich machen. Dann wann sie schon die gantz Apoteck mit dem Doctor schlungen *g*), würde *h*) sie nit helffen, wann sie sich nit halten. Solche leuth (seindt sie anders leuth *i*) zu nennen) solt man billich nicht *k*) annemen, sonder als Keffer, Hewschreck, raupen *l*), schnecken vnd andere vnnütze gewürme *m*), die den wein verderben vnd verheren *n*), hynsterben lassen.

Es ist offenbar und yederman bewust, dass das wasser pflegt fewer *o*) zu leschen, das fewer aber mag so gross sein, vnd ein solch faulung *p*) oder zunder haben, das des wassers feuchte zu gering wer. Wann ein gemeyn fewer in einem wald *q*) brennet, müssen die dürren spachern, reiser vnnd gerische anhalten, so bleyben die feuchten grossen baume *r*) sicher stan. Wo *s*) aber das fewer zu gross vnd langwerig beharret *t*), brennen *u*) sie alle mit eynander *v*) an, sunderlich, wann sie ein feuchte, die solchs fewer neeret, bey sich haben. also ist vor kurtzer zeit ein gross teil des hartz abgebrant. Diss gleichniss mercket, vnd seyt gewarnet *w*).

---

a) roten bolus zubereyten, oder gesigelt erden G. roten zuberayten bolus oder gesigelt erd V. — *b*) jm G. — *c*) haltet G. helt isset V. — *d*) kein V. — *e*) vor V. — *f*) sucht G. — *g*) verschluckten G. — *h*) wurd V. — *i*) lewtte, G. leut V. — *k*) nit V. — *l*) rupen V. — *m*) ander vnnütz gewürm V. — *n*) In Gorl. superadditur, „wanns christlich were.“ — *o*) feur V. et sic semper. — *p*) ain solche lecke G. ein solch futung oder zunter V. — *q*) in eim walde brinnet V. — *r*) baum V. — *s*) Wa G. — *t*) behart V. — *u*) brinnen V. — *v*) mit ein V. — *w*) In Gorl. add. „das jr nit vil böse materi mit überigem essen vnd trincken versamlet.“ —

Wie sich der, so mit dieser seucht begriffen wirt, halten sol.

Ehe ich zum andern theyl der Artzeney vnd anderer anlagung *a*), so in der not zu reichen vnd zu gebieten sein, komme *b*), will ich ein kleins von den zeichen diesser kranckheit sagen. Zum ersten kommet *c*) den menschen diese kranckheit an mit frieren, zyttern *d*) oder grieseln, vnd ist diss die vrsach, wann der leyb voller böser vberiger feucht ist, die ausserhalb den adern erfawlet, vnd durch die erfewlung erhitzt, vnd zuletzt den fürnemsten glidern schadet, kommen *e*) zusamen die natürlichen krefft, so den leib regieren vnd erretten, sampt der natürlichen *f*) hitz vnd blut, dringen sich inn die jnwendigen glider, da die bösse matery *g*) vnd feuchtigkeit ist, greyffen sie an ausszutreiben, so werden die eussern theyl des leibs von denen verlassen, vnd folgt also ein frost. Den frost aber fülen *h*), noch haben ettlich nit, sunder allein die hitze *i*), das kompt, wann obgenante krefft nit mit eyner solchen gewaldt vnd menig zurucke lauffen. Wann sie aber den feindt ergreyffen *k*), vnd gefasset haben, kommen sie mit grosser hitze herfür, vnd treyben jn, so vil jn müglich, herauss, welchs nit sein kan, sie müssen jn dann erst in groben dampf, darnach in schweyss verwandeln. Nu ist der schweiss nit anders *l*) dann ein gutte natürliche purgation derselbigen bössen feuchtung, welche, so sie im leyb bleibet *m*), das hertz ersticket *n*), vnd die lebendigen geyste (wie oben gesagt) verdempffte vnd ertödt *o*).

Darauss folget, das ein yeder, so mit diesser kranckheit ergriffen wirt, sich balt zu peth mache, auch in den kleydern, ob er die eben anhette *p*), vnnd den schweyss pflege, allenthalben, on das angesicht, wol vnnd warme zugedeckt, doch nicht zu heysse, das die natürliche hitz vnd kreffte *q*), so diese purgation wircken, nit mit demselbigen *r*) schweyss eraussgelockt *s*) verschwinde. Darumb

---

a) ertzney vnd and. beraytung G. andelagung V. — *b*) kumm V. — *c*) kumpt V. — *d*) zitern V. — *e*) kummen V. — *f*) natürlich V. — *g*) böss materi V. — *h*) entpfinden G. — *i*) Quae sequuntur verba, „das kompt — lauffen“ desunt in exempl. Gorl. insunt in Vim. — *k*) ergriffen G. et V. — *l*) and's leg. in exempl. Marb. — *m*) blibe V. belibe G. — *n*) ersteckte G. erstickte V. — *o*) ertödte V. — *p*) anhet V. addit Gorl. „allain das er sich lossmache.“ — *q*) krafft V. — *r*) demselben V. — *s*) herauss V. —

werden auch die pflaumenpeth *a*) vnd beltzdecken *b*) verpoten, welches man doch nitt zu seher *c*) superstitioss *d*) halten muss. Dann wo kein ander deck were, muss man solche für gut annemen *e*).

Allein darynn sol man fleyssig sein, das der kranck wol verstopfft *f*) von dem kalten lufft nit angewehet, noch der schweyss zurück getrieben werde *g*). Vnd ob man wolt den schweyss abwischen, welchs fast gut wer, so sol es mit weichen warmen leynen tüchlin syttlich, sonder beudeln *h*) vnd auffhebung der decken geschehen. Dann es mag leychtlich dem krancken ein grieselung *i*), dadurch die schweyssl̈öcher sich zuzyhen, erregt werden.

Hie ist zu wissen, das diss ein sehr schnell vnd allerscherffeste kranckheit ist, die jhre Crisim (wie wir sagen), das ist, jr vrtheyl im ersten anstoss mitpringt, vnd in xxjjjj stunden mitt sollichem *k*) schweyss vollendet, darumb das jr matery wüttet *l*), vnd, wie es Hippocrates *m*) nennet, brünstet, sol man die natur mit keiner anderen purgation alssdann verhyndern, noch mit ettwas anders von solichem jrem kampffe abfordern, sonder dahyn helffen, dahyn sie den feyndt ausstreybt *n*).

Darumb *o*) dünckt mich nit geratten, das man dem krancken solt bald essen vnd drincken geben. Dann wo *p*) die speyss in magen genommen *q*), würde die natürliche krefft sich dahin, dieselbigen zu kochen helffen, müssen theylen, vnd auff der andern seyten villeicht vnderligen, oder ya mangeln. Es kan der kranck in solcher kurtzer zeyt hunger halben nit geschwecht werden.

Das ist aber mein rath, das man die natur sterck, vnd das leydend hertz beware mit ettlicher eyngenomener *r*) ertzeney *s*), die

---

a) pflumenbetth G. plumenbeth V. — *b*) peltzdecken V. — *c*) seer V. — *d*) gründtlich G. — *e*) In exempl. Gorl. haec sequuntur: „Es were aber gut, das man etliche wullen deckdücher hette, vnd auffiegte, vnd vnderweylen ains abnehme oder darzu thette, nach gelegenhait der notdurfft. Item, das man ainen Haberkabesack für ain federbetth neme.“ — *f*) verschoppet G. — *g*) In exempl. Gorl. sequuntur: „vnd sonderlich muss man den halss, das haupt, die schultern, die solen an den füssen, wol bewaren.“ — *h*) sinnlich V. budeln V. wedlen Gorl. — *i*) greyselung G. — *k*) solchem V. — *l*) wütet V. — *m*) Hipocrates G. et V. — *n*) In exempl. Gorl. add. „die hande neben sich legen, vnd des Schwayss pflegen.“ — *o*) Drumm V. — *p*) wa G. — *q*) genumen V. — *r*) eingenumner V. — *s*) ertzney G. et sic semper. —

dem wütenden gifft steuwre, vnd doch gleich sehr *a*) den fliessenden schweyss fördere. Dartzu finde ich ein edle vnd bewerte artzeney, dero ein hochgelerter vnd berümpter Artzt in Welschland, Alexander Benedictus [6]) genant, in solchem fall stetz *b*) geprauchte, vnd sie keinmal betrieglich funden hat, ya ich hab selbst diese Artzeney auf einen *c*) tag acht personen in Sachsenlandt geben, sind sieben aufgestanden, die achte nam sie zu spaet.

Volget der Dranck.

Nym hertzpuluer [7]) (so nennet man in der Apotecken ein puluer aus edlen steynen vnd andern gutten stücken gemacht) jj quinten *d*). Schab von Hirschhorn j quinten, wurmkraut, nit das die margktrager *e*) verkauffen, sonder das man in der Apotecken Semen Santonicum nennet, an einem Geschlecht der wermut bey Genua wachsendt, Myrrhen, yedes ein halb quintin, menget *f*) wol durch eynander. Dauon nym ein gut quintin, gib dem krancken, so er nüchtern ist, (sonst weiss ich nit, obs so wol hilfft) im ersten anfang mit warmen weynessig, deck jn allenthalben, on das Angesicht wol zu, lass jn schwitzen.

Weyter soll man den krancken mit andern hertz staerckung laben, vnd so *g*) zusehen, das man nit zu vil stiptica *h*), das ist, Artzney, die zusamen ziehen vnd stopffen, brauche, das der schweyss nit verhyndert werde *i*). Meynen gesterigen krancken, dem Gott wyder auffgeholffen hat, hab ich diese hertzstaerckung in der eyle, dieweil die zeit des vorigen drancks fürvber *k*) war, geben. Ich nam hertzpuluer j quinten, Boragenblumenzucker, scheblumenzucker *l*), ydes anderthalb loth, Rosamarinblumenzucker *m*) j loth,

---

a) seer V. — *b*) stäts V. — *c*) ein V. — *d*) quin V. et sic porro. — *e*) marckttrüger. G. marcktrügner V. — *f*) mengs V. angesicht V. — *g*) ja V. — *h*) stipticis G. et V. — *i*) Quae sequuntur: „meynem — ich nam“ desunt in exempl. Gorl. et simpliciter legitur: „nym hertzpuluer, at in Vim. eadem verba sunt, quae in Altdorf. — *k*) fürüber V. — *l*) seeblumen V. — *m*) Rosemarinz. V. —

---

6) De pestil. febre lib. c. 23. p. 571. Opp. De re med. et ad calc. Joch. Schilleri, de peste britann. c. 23. p. 53. b. — Perhonorifice hunc Cordi potum memorat Jo. Castellus (Tract. de peste. A. V. 1508. c. 20. p. 183.) — G. —

7) De compositione hujus medicamenti conf. Wecker. Antidotar. general. p. 775. — G. —

Venedisch Theriack ein halb lot, Sirup von sawer citrinatäpffelsafft, so vil genug war *a*), auss dem eine dünne Latwerg zu machen, gab jm das, liess jn ein wenig dauon lecken *b*), befand er plützliche krafft, schwitzte fürtan gleich sehr.

Ich macht jm auch ein wasser, damit ich jm den obermundt *c*) vnd die nasslöcher bestreichen liess. Das hilt jjjj lot rosenwassers, j loth sehblumenwassers, jj loth weynessigs, darin war jjj gerstenkorn schwer Diessem *d*) zertrieben. Ich liess auch in der kamern vslet kertzlin [8]) rauchen *e*) vmm des stinckenden schweiss willen. Solche vnd dergleichen wolschmeckend reuche mag man mancherley machen, die armen mit vmb hergelegten obs *f*), doch weren die epffel darunder besser, dann die bieren oder quiten *g*), ists anders war, das etlich schreiben, die bieren solten solche krafft jrer stipticitet, das ist, zusammenziehung, von sich *h*) lassen, dass auch die weyber in den kamern, darjn bieren liegen, schwerlich geberen solten.

Ich wil hie nit leren, das man den krancken, ob jn hungert oder dürste *i*), solt schmachten lassen, sondern *k*) was guts weichlichs, vnd das leichtlich im magen zu kochen wer, vnd bald sterckung *l*) brechte, geben, doch das nits von gewürtz oder sonst *m*) ein eusserliche hitz hab, sondern *n*) lawt *o*) sey, als ein gestossen hünlin, ein süblin *p*) aus eyerdottern, wein, wasser, essig vnd Saffran zugemacht *q*).

---

a) ist G. — *b*) liess jn dauon jn ein wenig lecken V. gib jm dauon ja ain wenig zu lecken G. in quo sequentia verba, „befand — sehr“ desunt, et sic leg. „Man mag jm mit diesem wasser den übermund vnd die nasslöcher bestreichen. Nymm Rosenwasser, Lauendelwasser, des besten wolrichenden Weyns, jedes j lot, Rosenessich jj lot, Bisem, Ambra, yedes jj gerstenkörner schwär. Auch soll man in den Kamern vnschlytkertzen reuchern, vmb des stinckenden Schwayss willen. Solche — *c*) vbermunt V. — *d*) Dyssem V. — *e*) rauchern V. — *f*) ops V. — *g*) kütten V. — *h*) jn G. — *i*) In Gorl. additur „nach dem schwaiss.“ — *k*) sund' V. — *l*) starckung V. — *m*) sunst V. — *n*) sunder. — *o*) law V. lawe G. — *p*) seufflin V. — *q*) In exempl. Gorl. add. „kalt ding sol er meyden.“ —

---

8) i. e. candelae odoratae, quae vulgo dicuntur usiletae. Male in exempl. Gorl. leg. „vnschlytkertzen“ i. e. candelae de sebo taurino. — G. —

Dessgleichen sol auch der tranck seyn ein schlechter sawrlechter dünner wein, mit sawrampfferwasser gemengt, im weynlandt, im bierlandt ein gemeyn klar dünne byer *a*), das es kein vapores zu heupt füre, welche doch on das *b*) jn solcher kranckheyt auffsteigen, das der kranck vnsynnig vnd mit einem vnuberwintlichen *c*) schlaff beladen wird, welch *d*) ich an vorgenanten krancken gesehen hab. Solcher aufsteygung sol man mit essig vnd Rosenwasser verbieten, wann jm begynnet das haupt wee zu thun, dieselbigen uff die stirn, doch nit zu viel, streichen. Auch sol man jm den schlaff inn den XXIV stunden nit gestatten *e*), sonderlich mit essig die nasslöcher wol bestreichen, vnd wacker halten, Vrsach, wann ein mensch schlefft *f*), ziehen sich die jnwendigen geyste *g*) vnd das geblüte zum hertzen, vnd füren also die gifft mit sich *h*). Wann aber diese zwen böss zufell nit mögen verhyndert, noch zurück getrieben werden, wie ich auch gesehen *i*), sol man den krancken warm halten, vnd das er still im pethe *k*) bleybe, mit decken allenthalben verstopffen *l*), das kein kalte lufft zu jm kom *m*), ob er vngedultig sich mit vngestimmigkeit *n*) vberwürf.

Nach *o*) verlauffen XXIV stunden, wann diese Crisis geschehen ist, mag man den krancken vffheben *p*), doch sol er erst mit eynem weychen reynen tüchlin vorhyn, vnder *q*) der decken den schweyss wol abwischen, vnd ein reyn warm hembd anlegen, darnach warm bekleydt bey einem camyn oder sonst einem andern fewer gesetzt, vnd wo ers begeret, mit gutter speyss erquickt werden, vnd darnach sich wyder zu peth, welchs mit frischen warmen leylachen bereyt sey, gegeben *r*), vnd also lang *s*), bis er sein vorige macht befindt, etliche tag halten *t*) mit fleissigem aufsehen, das er sich vor der *u*) lufft beware. Dann daran ist in dieser gantzen kranckheit viel angelegen *v*), wie das die vernunfft gibt,

---

a) bier V. — *b*) In Gorl. add. „vnderweylen.“ — *c*) eim vnüberwintlich V. — *d*) den ich V. in Gorl. desunt „welch — hab.“ — *e*) gestaten V. — *f*) schlaft V. — *g*) geist V. — *h*) jn sych G. — *i*) In exempl. Gorl. leg. „getrieben werden, welchs am maysten tödtlich ist, soll. —“ — *k*) bet V. — *l*) die decken allenthalben verschoppen G. — *m*) kum V. — *n*) vngestüme vberwurffe. — *o*) nach den V. et G. — *p*) auffheben V. — *q*) vnter V. — *r*) begeben V. et G. — *s*) vnd hinfürt solang G. — *t*) findet sich einhalten mit fleissigem G. — *u*) dem G. — *v*) gelegen G. —

vnd die erfarung gelert hat, in den landen, so mit diesser plage hymweg gesucht *a*) sein *b*).

Also vil wil ich in der eyl auff dissmal von diesser schrecklichen *c*) kranckheit geschrieben, vnd einen yeden das gebetten *d*) haben, das er auff solche regiment also trawen wolt *e*), das er Gott, den allerbesten Artzt, seine ehr lasse, vnd jn vmb die sicherst vnd gewissest artzeney hertzlich bitten, der wolt *f*) vns vor diesser schrecklichen Plage schützen vnd schirmen, vnd sein wort bey allen völckern erscheynen vnd herrschen lassen, Amen.

Gedruckt zu Marpurg 1529.

Dem [9]) Erbarn vnnd wohlgeachten Johanni Raw von Nordeck, Hessischen Camersecretario, Meinem Günstigen Herrn vnd freunde.

Lieber Herr vnd gutter Freund, ich hab ewern willen, so vil mir müglich gelaystet, vnnd ain Regiment wider den Englischenn Schwayss, dauon jr mir geschriben, eylend aussdrucken lassen,

---

a) haimgesucht G. heymgesucht V. — *b*) Post „sein“ in exempl.! Gorl. haec sequuntur: „Es soll der kranck im ersten anstoss nitt zu seer erschrecken, Denn welche ain sollich Regiment gehalten haben, seind gemaynklich alle auffgestanden, Vnd wiewol es ain gifftig fieber ist, so höre ich doch, das es nit so hefftig anstosse, darumb sollen dieselbigen krancken nitt so fast vermütten, noch hilfloss verlassen werden. Es wer wol gut, das sich etliche Freunde vnd gute gesellen in jeder statt also verbünden, wann ainer vndter jn kranck wurde, das die andern jm in seiner nott dieneten. Wo aber yemandts ye fliehen wölt vnd künd, soll er ain wonung an ainem berg, der mit guttem frischen lufft vnd freyen Sonnschein troffen wirt, erwölen, Denn ebene, nidrige, wässerige, dunckele örtter seind inn disser kranckhait verdaechtig zu halten, das zeugen die lande vnd Stette, darinn sy gewütet hat.“ — *c*) erschrockenlichen G. et sic etiam infra. — *d*) gebeten V. — *e*) wöll. G. wölt V. — *f*) wöll. G. wöl. V.

---

9) Haec quidem epistola ad calcem exemplaris Gorlicensis legitur, in ceteris editionibus, quas vidi, omnino deest. (In Tubingensi adest. — H. —) Videtur etiam ante conventum Marburgensem esse scripta: Tunc enim plures homines jam aegrotare coeperunt. — G. —

doch des hoffens vnd vertrawen zu Gott, es soll diser meiner dients hie vn nöttig sein. Es hat der Allmechtig Gott dem krancken von dem ich euch auff ewern letsten brieff antwortend geschriben, zu voriger gesundthait geholffen, Vnd ist biss hieher nach jm, so vil mir bewüst, kainer mer damit begriffen. Wir wöllen ob Got will, neben Göttlicher harmhertzigkait, vnsers gutten frischen luffts genyessen, vnd durch disen krancken gewarnet, vnd hinfurt diser plage übersehen sein. Das wöl uns der Güttig Gott geben Amen.

Ewer Euricius Cordus.

DE NOVO

HACTENUSQUE GERMANIAE INAUDITO MORBO

ΙΔΡΩΠΥΡΕΤΟΥ

HOC EST, SUDATORIA FEBRI,

QUAM VULGO SUDOREM BRITANNICUM VOCANT,

GENEROSI

HERMANNI A NUENARE COMITIS,

PRAEPOSITI COLONIENSIS

SIMONISque **RIQUINI**

MEDICAE REI EXPERTISSIMI

JUDICIUM DOCTISSIMUM, DUABUS EPISTOLIS CONTENTUM.

COLONIAE,

APUD

JO. SOTEREM.

ANNO MDXXIX, MENSE OCTOBR.

PETRUS PHERNTOPHIUS

Lectori[1]).

Sunt animae morbi, sunt corporis, illius omnes
Languores Christus sensit et ipsé tulit.
Hujus et ipse potest solidam firmare salutem,
Et si nil dubites, unus utrunque potest.
At male surdastri nequicquam multa docemur,
Quorum quam minimum pectora nostra tenent.

---

1) Iterum hunc libellum (forma quadrata (in 4.) impressum) edidit Guil. Gratarolus cum aliis, de quo infra. De Nuenaris, viri sua aetate longe clarissimi, vita, fatis, meritis et honoribus vid. Erasm. (Epistol. lib. III. p. 187. et L. XXIX. p. 617.), Jo. Franc. Foppens (Bibl. belg. T. I. p. 477), Jac. Burchard (Comment. de linguae latin. in Germania fatis, c. 5. p. 331. seq.) et C. Saxe (Onomast. litterar. P. III. p. 80.). Nomen ejus ortum ab comitatu Nuenario (W. Telschenmacher, Annal. Cliviae, Juliae, Montium — — ed. Dithmar. Francof. 1721. P. II. Append. 1. p. 406), sed apud varios varium est, et appellatur ille Hermannus comes Nuenarius, Comes a Nova Aquila, Neaetius, Comes Neaetius (etiam Herm. de Sudatorio), Herm. Novae Aquilae (v. H. Pantoleon, Prosopograph. T. III. p. 41 et p. 460), Herimannus Nuenarius (Bil. Pyrckeymer, Germania. Norimb. 1532) et Heremannus, comes a Nuenare. Erat ille omnibus bonis carus, malis exosus ob bonarum literarum culturam. Is enim dicitur ab H. C. Agrippa (Epist. L. II. ep. 19. p. 739) „nobilissimus ac eruditissimus“ et Lib. II. ep. 60. p. 778 „eruditissimus vir, quem Colonienses nequissimis calumniis prosciderunt,“ idque factum est ob patrocinium, quo viros ingenio et doctrina praeclaros, cum maxime Jo. Reuchlinum, exceperat. (H. C. Agrippa, Apolog. advers. theologistas Lovaniens. T. II. p. 39.) Erat tunc temporis Colonia cucullatorum plena, barbariei sedes, inscitiae vindex, ut ex Malleo Maleficarum et Epist. claror. viror. ad Reuchlin. script. satis superque colligitur. Scripsit Herm. a Nuenare etiam inter alia a. 1529 censuras herbarum, ut Nic. Leonicenus (v. Otton. Braunfels, Nov. Herbar. Tom. II. n. 7. p. 116) ediditqe Octavianum Horatianum. Vivere desiit Ratisbonae a. 1530 in comitiis. (Henningesii Theatr. genealog. et Fabric. Bibl. graec. P. XIII. p. 178.) — G. —

O quoties ad se revocatque trahitque creator,
Nostra creaturis dedita corda jacent!
O quoties dare semet Deus exerit orbi,
Nos homines hominum caeca caligo juvat!
Ut breviter dicam, caelestia numina nobis
Nil sunt, quam nugae, fabula, verba, jocus,
Inde fames nobis, pestes, mars, denique fontem
Hinc etiam inclemens ὑδροπυρετος habet.
Saevum, horrendum, atrox genus immedicabile morbi,
Nostrae perfidiae debitum, et ecce datum,
Tempore quod modico cogat (miserabile visu)
Exudare animam de statione sua.
Uno namque die, quantovis robore praestes,
Si modo sudabis, liquida vita fluet.
Sed pater omnipotens, precibus qui flectere nostris
Usque φιλάνθρωπος jure vocandus eris.
Qui tibi conceptas meritis pro talibus iras
Defervere tua pro pietate sinis.
Atque hunc Mercurium, dein hunc Aesclapion orbi
Tandem donaris; gratia aperta tua est,
Qui morbi caussas, morbo qui deinde medelas
Reppererint, pleni numine, Christe, tuo,
Munere pro tanto dignas persolvere grates
Non opis est nostrae; gratia aperta tua est,
Ergo hoc jam lector gaudens utare libello,
Fructus et usus inest plurimus estque tuus.

Hermannus Nuenarius, comes, Praepositus Coloniensis, Simoni Riquino, medico clarissimo S. D.

Inciderat nuper quaestio, quum domi meae pranderes, de caussa et origine morbi istius, quem vulgus sudorem Britannicum vocat, nos eidem a re ipsa nomen indidimus graecum, ἱδρωπυρετὸν ipsum vocitantes, quod latine reddi potest febris sudatoria, verum quod per id tempus a meis domesticis de fuga tumultuari cernerem, nolui ex transenna (ut dici solet) negotium istud apud te tractare. Sed postquam in suburbanum ipse me recepissem, coepi nonnihil apud me deliberare, quaenam potissimum caussa morbo huic, antea per Germaniam non audito, possit adsignari. Quanquam autem a philosophis non immerito prima caussa reliquarum secundarum caussarum effectrix esse diffiniatur, tamen, quod illa disputatio ad institutum hoc nostrum minime pertineat, eam in praesentia non attingemus. Nam inter christianos neminem arbitror tam stupidum reperiri, qui non credat omnia haec, quae patimur, mala desuper nobis a justissimo deo infligi, propterea, quod, relicto creatore, omnes declinavimus, unusquisque in viam suam, velut oves sine pastore, prout quemque sua rapuit libido vel caeca voluntas. Sed quia apud medicum de physica morbi hujus ratione agendum esse judicavi, sub brevitate meam tibi sententiam explicabo.

Comperio duas apud me rationes, quarum quaenam potior sit habenda, nondum ipse judicare possum. Prima quidem istiuscemodi est, sudatoriam febrem magnam quandam cum peste (ἐπιδημίαν vulgo nuncupant) habere cognationem, quodque uterque morbus ex attractu aeris venenati concipiatur, esse tamen diversas veneni naturas. Nam id, quod in peste accidit, subtilius multoque virulentius esse puto, quod autem in sudatoria, aliquanto lenius, crassius atque frigidius. Quam ob caussam facilius atque etiam citius curantur sudantes quam qui a peste corripiuntur. Videmus enim, quam multi de sudore convalescant, imo si cura non desit, rarissimus esset, qui hoc morbo absumeretur. Unde suspicari licet, venenum in sudatoria non esse tam acre virulentumque, quemadmodum est illud, quod in peste grassatur. Nam ab illo extinguuntur quam plures, et pauci redduntur incolumes. Id quod experientia, heu diuturna nimis, nos edocuit. Attrahitur autem venenum in

utroque genere morbi per aspirationem aeris, sine qua nullum animal vitam ducere potest, quando jam aer per diuturnam inaequalitatem temporis et aurae corrumpi coeperit.

Quicunque corrupti illius aeris flatum attraxerit, necesse est, ut, quum primum ad vitale membrum virus ipsum pervenerit, repente concitatior morbus, quem aliquando pestem, aliquando bubonem sive ἄνθρακα dicimus, consequatur. Et huic semper adest febris sive καύσον sicut et in cujuslibet veneni sumtione. Nam ab omni veneno laedi cor ipsum, necesse est, febris vero inter morbos cordis ab omnibus medicis numeratur. Jam cum in peste venenum, quod attractum est, tantum sit tamque vehemens et acre, ut resolvi facile non possit, natura ipsum statim expellit ad loca quaedam, quae receptacula sunt superfluorum humorum, et a medicis emunctoria vocantur, ut hoc saltem pacto virus retrahatur a corde et, collectione seu apostemate facto, vel resolvatur per sudorem aut evaporationem, vel, maturato apostemate suppuretur, et excidat. In sudatoria autem cum virtus cordis adhuc sit integra virusque non adeo vehemens, quin virtute naturali resolvi possit, natura ipsa sudores excitat, quibus toto ex corpore defluentibus, virus pestilens expurgetur et evaporet. Unde sudorem istum nihil aliud esse judico, quam sanitatis προγνωστικὸν. Id quod in febribus κρίσιν a medicis vocari videmus. Quod si naturam tam diu operari per sudorem patiamur, donec ipsa sanitati corpus restitutum esse praenuntiet, sudoremque sistat, nihil omnino periculi adesse persuasum habeo. Si quis id ipsum curare noluerit, huic periculum nascitur a virtutis naturalis oppressione, quam non morbi vehementia, sed incuria propria inflixit. Si enim aer frigidus aut ventus, corpore in sudorem jam penitus resoluto, porisque apertis, ad interiora irrepserit, consequitur repentina ἀντιπαρίστασις claudens subito poros, unde fit, ut virus jam resolvi et evacuari coeptum rursus in cor impetum facere cogatur, quod ubi non propriis viribus jam prope destitutum offendit, brevi suffocat et extinguit.

Alteram autem rationem de hujus sudatoriae febris origine sic colligo, humorem intrinsecus vel corruptionem, vel habitum proximum, qui ad corruptionem vergat, hunc porro influxus superior, inaequalitas atque intemperies aeris, crapula atque aliae caussae inferiores [2]) generare non dubito. Quibus demum concurrentibus,

2) Leg. influxum superiorem, inaequalitatem et sic porro. — G. —

in plerisque corporibus repentinam febrem excitari verisimile est, praesertim si vel imaginatio vehemens, aut timor, aut exercitatio cum impetu, aut aliud accidens humores movere coeperit, qui ubi commoti fuerint, propterea, quod ad corruptionem dispositi sunt, continuo inflammantur et putrescunt, qua de causa cor inprimis offenditur, quod est vitae sedes, et praecipui humoris receptaculum, neque offenditur solum, sed prae magna angustia omnes vires expandit, ex quo generalis totius corporis provenit sudor, is tamen naturam indicat adhuc fortem et ad juvandum sese sufficientem, modo ne regimine debito frustretur.

In his itaque duabus rationibus meis differentia solummodo consistit in eo, quod dicitur vel venenum extrinsecus attrahi, vel humores per se sive per accidentes caussas in corpore computrescere. Quod si utramque rationem conjungamus, fiet fortasse, ut caussam morbi magis rationi et vero consonam liceat opinari. Possumus enim non absurde etiam ratiocinari, aerem ipsum, sive nimis crassum, accidens esse, per quod humores facile inflammabiles accendantur. Quando enim aer ipse attractus, postquam ad cor a pulmone dirigitur, debite non fuerit percolatus, non jam refrigerium cordi, sed poenam adferet, unde humorum in corpore commotio sequatur oportet. Si autem venenatus omnino sit, eo quidem vehementius movet et affligit, uti jam ante diximus. Sed quod de aere crasso interserui, fecit Britanniae consideratio, ubi hic morbus quotannis grassatur, nec verisimile fit continuam ibi aeris esse infectionem; alioqui conjunctim, etiam perpetuo, saeviret ibidem pestilentia, quae tamen aliquanto etiam rarius accidit Britannis, quam plerisque Germaniae provinciis. Quia vero Britannia undiqne oceano concluditur, et regio ipsa nec extrema in septentrionem sita sit, ut vapores frigore densati penetrare corporis meatus non possint, nec occidentem, qua Hispanias respicit, tam prope contingat, ut calore solis iidem vapores sufficienter decoquantur, et rarescant, contingit, ut aer ipse plerumque crassior remaneat, quam proportio vitalis habitus exigere videatur. Eaque de caussa intrinsecus natura modum fortasse reperit, qui ipsum ad temperamentum reducat. Quanquam autem id in Germania, quae in septentrionem orientemque magis protenditur, antehac non contigerit, fecit tamen hujus anni, ac fortasse etiam praecedentium intemperies, fluminum exundationes, frigora cum humiditate perpetuo

conjuncta, ut jam in Germania Britannicus quidam aer suscitatus videri possit.

At ne diutius in caussa probabili rationes dubias videar conferre, permittam tibi, ut in hoc campo ipse te exerceas, simul etiam rogans, ut pro ingenii tui dexteritate negotium istud velis conficere, quo reipublicae utilitati consulatur. Ne tamen ego praepropere fortasse hunc tibi campum reliquisse videar, audebo etiam sutor aliquid ultra crepidam, et de remediis, quibus quis ab hoc morbo sudatorio praeservari possit, pauca in medium adferam. Nam de morbi curatione supervacuum videtur quicquam disserere, quando, si rem diligenter perpendamus, sudor ipse non tam morbus dici possit, quam morbi, hoc est passionis, κρίσις, medicorum autem receptus est canon, in omni febri, cum exasperatio supervenit, a remediis esse cessandum, ne videlicet natura dupliciter gravetur atque praepediatur, quominus juvare se ipsam possit. Quanto magis in sudore abstinendum ab omnibus antidotis, ubi non exasperatio solum adest, verum etiam de sanitate futura certissimum prognosticon ab ipsa natura exhibetur. Hinc est, quod ex empiricis quidam, experientiae fama praeclari, iis, qui ab inguinaria peste, seu verius bubone corripiuntur, sub ipsum initium morbi sudorem provocare solent, qua quidem ratione innumeros ego servatos intellexi, quorum ego institutum usque adeo non improbo, ut etiam vehementer commendem, facturus et ipse periculum, si vel me, vel aliquem ex meis contagio pestifera invaserit. Audivi referentem quendam de medico non vulgaris existimationis, admirabilem sane, sed, ut ille asserebat, sibi exploratam historiam, quae sic habebat, medicum, simulatque sensisset, bubonem sub ala sinistra, confestim ignorantibus domesticis, quasi lavaturus esset, ad sudatorium properasse, quocum pervenisset pepigisse cum balnearum praefecto, ut praeter solitum accenderet hypocausta, deinde ingressum altiorem locum invasisse, famulis vero diligenter contricantibus, quo maturius sudor succederet. Ille amphoras aliquot vini mediocris inferri ad balneas praeceperat, cumque jam undique sudor defluceret, et intrinsecus duplici calore natura premeretur, medicus paullatim vino coepit interiorem aestum restinguere, simul etiam, ne cor nimia caloris vi deficeret. Exhaustis demum amphoris, ad lectum repositus vestibus diligenter cooperiri voluit, ac sic demum exsudavit, quicquid residui adhuc inerat veneni. Mox sanitati restitutus medicus, venenum ipsum in hypocausto reliquit, unde correpti, qui-

cunque post balneatum venere, praefectus quoque et famuli, omnes plerumque extincti fuerunt, donec edicto jussum claudi balneum. Non imprudenter ergo fecerunt, qui statim correptis bubone theriacam optimam (cum aceto [3])) usque ad drachmas quinque vel drachmas sex cum aceto optimo exhibere consueverunt, aegrotum mox lecto impositum vestibus et stragulis praegravantes, quo sudor erumpat, sanitatis nuncius.

Alii vero celebre antidotum invenere in eundem videlicet usum, quod ovum philosophorum [4]) nostra aetas vocavit. Illius multifariae descriptiones habentur, ego quadam non infeliciter usus sum, cum pestis novissime apud nos grassaretur. Nam paucos, qui ea tempestive usi fuissent, ab ipso morbo extinctos animadverti. Cujus confectio est haec. Ovum, rejecto per angustum foramen albumine, croco impletur, et ad ignem lentissime torretur, quoad cortex croceum exhibeat colorem, post ovum ipsum in pila contunditur minutissime, ut corticis reliquiae non appareant. Huic pulveri additur seminis erucae (id quod sinapi album vocant) pro medio pondere ovi, radicis heptaphylli, quod tormentillam vocant, diptami albi singulorum drach. jj. sem. cardi, quem benedictum vocant, sem. acetosae ana drach. jβ. Addunt quidam nucis vomicae drach. j. quo sudorem citius expellant, rasuram quoque cornu monocerini aurei pondus, sed quia suppositilium est, quod plerumque a mercatoribus pro monocerino venditur cornu, ego semper usus sum rasura cornu cervini, quod ego efficacia monocerino non arbitror concedere, sed delectum illum observare oportet, quem mox adnotabo. Postremo theriacam optimam ad pondus totius massae adjicies, iterumque in mortario simul commisceto omnia, et contundito diligenter, ut formari trochisci possint, quorum ἡ δόσις esse debet ad pondus aurei unius per se, vel cum aceto optimo. Alii aquam e theriaca vaporatam, cujus usus jam est apud celebratos empiricos communis, ad pondus unius unciae exhibent cum semidrachma aut scrupulo uno nu-

---

3) Haec verba redundare videntur; sunt enim bis posita. — G. —

4) Plures formulas hujus medicamenti, quod et sudorem ciere et vires incitare credebatur, scripsit Car. Valesius (De pestilent p. 175), aliam dedit H. C. Agrippa (Opp. P. II. p. 438.). Conf. quoque J. B. Gemma (De vera rat. cur. bubon. atque carbunc. pest. comment. p. 255), Joh. Kentman (Ein kurtz. Regiment etc. Wittenb. 1568. p. 29), Osw. Gaebelkhover (Artzneyb. p. 347). Alii tamen hoc ipsum quoque antidotum saepius spem destituisse auctores sunt. — G. —

cis vomicae rasuraque cornu vel cervini, vel, si verum haberi potest, monocerini. Iis tamen omnibus praestat aqua illa nostra, de qua nuper partem aliquam tibi dono dedi, sed quia nimiis sumtibus atque laboribus constat, non videtur in usum publicum conferre.

Ut hic igitur finem faciam, videntur pleraque inter pestem atque sudatoriam febrem concurrere, ut aperte conjectare liceat in utroque morbo aeris pestilentis venenum grassari, cujus quidem medendi rationem in sudatoria natura ipsa commonstrat, in bubone multorum non infeliciter collocata industria, quae potissimum naturae ipsius documento corroboratur.

Quantum ad praeservationem attinet, ego quidem judico medicum duo praecipue spectare oportere. Primum et praecipuum est, ne vel aer pestilens, vel corruptus vitalia membra praeoccupet, alterum, ne febris superveniens humores inveniat inflammationi aut putrefactioni obnoxios, partim itaque utendum antidotis, quae adversus assumta venena pestemque inguinariam praescribuntur, partim iis, quae solent in febribus putridis exhiberi. Nam quod hic morbus de genere putridorum sit, duabus facile rationibus convincitur. Prima est, quod pueri infra decem annos rarissime hac febre corripiuntur, in iis nempe calor naturalis purior abundans putrefactionem non facile admittit, nec humorum ea copia adest, quae in adultis, cum ratione victus, tum exercitatione comparatur. Nam quod in adultis humores multo magis ad putrefactionem disponuntur, quam in pueris, ratio est, quod cum tempore incipiat abundare superflua et praeternaturalis humiditas, rursumque deficere calor necessarius et naturalis, unde cum contigerit ipsos inflammari, subito humores computrescunt. Alteram caussam experientia commonstravit, in his videlicet, qui post repercussum sudorem morbo succubuere. Ii enim post aliquot horas statim putrefactionis indicia praebent, foetorem, tabem undique defluentem. Id quod accidit, postquam virus ad interiora propulsum omnia membra vitalia corripuit, humoresque cunctos inflammavit, unde putrefactio universalis consecuta corpori repentinum intulit exitium. Inprimis summopere caveat sibi quisque, ne, ventriculo adhuc vacuo, in aerem liberum exeat. Multo enim facilius jejuni, quam qui cibum assumserunt, venenum attrahere putantur. Habeat et quisque ignem paratum, quum a lecto surgit, ad quem se convestiat. Nulla enim res aerem corruptum sic emendat, ut ignis. Quare in oppidis et pagis censerem per vicos omnes quotidie ignem in plateis et libero

aere fieri, quo vapores illi pestilentes, qui aerem infecerunt, paullatim consumerentur. Eaque ratione subinde in civitatibus luem epidemiam abigi posse existimaverim, quemadmodum exemplo comprobavit summus ille medicorum, Hippocrates, sed plerumque in his rebus magistratuum sollertia desideratur. Praeterea in corporibus robustis et validis evacuatio humorum fieri debet, juxta regulas et praescripta medicorum, habito respectu ad complexiones et tempora, aliaque, quae medicum considerare oportet, videtur tamen naturae humanae magis convenire, ut exhibeantur pharmaca leniter ducentia, velut est rheum, quod vocant barbarum, manna, agaricus, aloe et his similia, quam quae ventrem cum impetu quodam atque molestia solvunt, uti scammonia, colocynthis, turbit etc. Per solutionem autem ventris, quantumlibet lenem, procul dubio partem aliquam humorum, qui corruptioni obnoxii sunt, educi necesse fuerit, ex quo fit, ut natura in expellendis reliquis adjuvetur, quo minus pestifer morbus possit accidere, vel, si accidat, multo minus affligat citiusque terminetur. Venam quoque incidere, nisi valetudo aut habitus aegroti temporisve ratio vetet, non absurdum judicarem, praesertim cephalicam aut cardiacam, in potione vero misceri rutam cum inulae Campanae et buglossi erratici radicibus, cichorea atque semine cardi, quem vocant benedictum, sive chamaeleonis albi semine, hisque addetur nonnihil aceti, et, ventriculo vacuo, mane cyathum unum bibant, qui mediocris sive etiam plebejae conditionis habentur. Nam pro delicatioribus tot mellita atque saccarata eclegmata medicorum solertia excogitavit, ut his omnes apothecae scateant, theriacam tamen, sive magnam illam Andromachi, sive quam huic nuper substituit Jo. Maynardus [5]), Ferrariensis, sane elegantem et probam, vel Mithridatis commixtionem, vel compendiosum antidotum, quo vidi Italos aliquando fuisse usos adversus venena, et a nonnullis theriaca *διατεσσάρων* appellatur, vel protritum illud, quod in scriniis Mithridatis regis inventum, C. Plinius auctor est, e ruta, nuce juglande, caricis et sale confectum, pro praeservatione sumi posset, et quandoque utendum eis, quae virtutem cordis confortent, velut diamargarito, diabuglosso, diarrhodon atque his similibus. Ego pro me ipso pulveris aromatici mixtione uti soleo, quem a proprietate et venenis adversari, et cor totamque virtutem naturalem confortare tu ipse

5) Epistol. medic. Basil. 1549. Lib. VI. ep. 2. p. 83—86. — G.

perspicere facile poteris. Hujus mixtio sic habet: Recipe rad. inulae Campanae drach. jj. sandali citrini, xyloaloes ana drach. jβ. coriandri praeparati, zedoarii, macis, cubebar., baccar. lauri, gentianae ana drach. j. rasuram eboris, rasuram cornu cervi, quod primum jactum sit, seminis cardi benedicti, seminis oxalidis sive lapathi acetosi ana drach. semis, croci scrupulum unum, moschi et ambrae canae ana grana vj. De hoc pulvere pondus drachmae semis cum aqua oxalidis et buglossi erratici sumendum primo mane, postquam e lecto surrexeris. Si quis autem malit pulveres ipsos conditos edere, ille addat syrupi rosei ac alterius, qui a corticibus citrinis nomen accepit, hisque dictos pulveres immergat, ac ad nucis avellanae quantitatem de hoc condimento mane sumat.

Cetera, quae ad exactum regimen sive diaetam instituendam pertinent, ad vos medicos relego, contentus hac epistolari nostra mediocritate, ceu progymnasmate quodam, in certamen te provocasse. Habes itaque rationem hujus lucubrationis nostrae, quam ad unam tantummodo lucernam, quod et tu ipse facile deprehendere potes, absolvimus. Tu jam vicissim pro commodo reipublicae tuam sententiam explicare debes, cui me concedere phas est. Vale, ex aedibus nostris Coloniae Agrippinae VII. die Septembris.

Non minus eruditione, quam imaginibus claro D. Hermanno Nuenario comiti, Praeposito Coloniensi, Simon Riquinus, Trevir, medicus S. D.

Nae[6]) tu reipublicae bono natus videri potes, comes generose, qui tam studiose hoc semper agites animo tuo, quo pacto et meliora studia jam nunc, proh dolor! partim contemptu neglecta, partim malevolentia et odio depressa reflorescant et revocentur! Neque his studiis alioqui honestissimis contentus inter gravissimas occupationes tuas moliris etiam laboranti hominum conditioni fulcimenta, atque medicas adhibes manus in rebus bene deploratis, ubi etiam medicorum non vulgarium consilia subsistunt. O aureum et incomparabile ingenium, o miram dexteritatem, o denique promtissimam *φιλανθρωπίαν!* Id quod ex aliis plurimis cum scriptis factisque tuis, tum vero novissime ex epistola tua de inaudita antehac in his regionibus febri scripta, deprehendere fuit promtum. Quis jam, nisi cui cornea sit fibra et aes triplex circa pectus, non exosculari debeat tam paratam bene consulendi voluntatem, atque adeo tam sanum et expeditum judicium nullis perplexitatibus involutum, imo quam liberum, tam verum, sub blandissimo verborum concentu insinuatum? Pudeat deinceps sane quosdam *ἰάτρικῆς* titulo se venditantes tam longo intervallo relinqui a tergo ab eo praesertim, qui rebus maximis destinatus succisivis, quod ajunt, horis tanta fecerit in re medica incrementa, quanta ne per somnum qui-

---

6) Erat Simon Riquinus tunc temporis ducis Clivensis medicus, curatione sudoris anglici apud Colonienses haud incelebris, ut ipse de se profitetur; erat, Erasmo judice (Epist. P. II. ed. Lugd. 1706. ep. 1014. p. 1157; et Praef. ad Ge. Agricolae Bermann. Bas. 1530.) „Simon Ricuinus juvenis ad rem medicam restituendam accinctus, eruditione haud vulgari, summa morum ingeniique dexteritate;“ apud Mich. J. Paschalem (v. PP. Peredae in Paschal. method. cur. Schol. Lib. II. 9. p. 203) dicitur „Trevir, summus philosophus et medicus Coloniae.“ Est etiam memoratus apud Paschalem Gallum (Bibl. med. p. 277), Isr. Spachium (Nomenclat. script. med. p. 125), J. G. Schenk (Bibl. iatric. p. 480), Lind'en (de script. med. p. 974) et Mart. Lipenium (Bibl. real. med. p. 176). Eadem, quam supra describendam curavimus, editio est, quae inscribitur: „Sim. Riquini de *ἱδρωπυρετοῦ* seu sudatoriae febris curatione lib. Colon. ap. Jo. Soterem 1529. 4. — G. —

dem sperare poterant homines scilicet otiosissimi. Quod utcunque ferendum putarem, nisi interim mordacibus instructi morsibus in honestissimo studio procurrentes alias remorari, alias, idque saepius perdere niterentur. Sed παρέργον in aliud tempus effundetur, siquidem mihi displicere non parum incipio, quando ad tua studia memet compono et examino. Tum enim perspicio, quantum amplissimi spatii percurreris tu, nobis vix longissime vestigia legentibus, sed laudes istae adulationis nunciae videri possunt, quare ad rem accedo.

Liberet, si negotiorum meorum fluctus quiescerent, atque si aula nostra Clivensis, in qua nunc versor, otium studiis meis concederet, propositum mihi themation abs te quam fusissime discutere, non quo putem meliora tuis me in medium afferre posse (qui possem namque, cum non videam, quid addi ad numerum possit, nisi quis ταυτολογίας vitium committere velit?) sed, ut collatis meis cum tuis rationibus grandescat et firmetur, quam concepimus uterque de nova hac febri sudatoria, sententia. Ubi non vereor, ut non offendantur magni illi medicae artis patroni, qui nos pro indoctis abjiciunt, homines vere emunctissimi (nosti affectum illorum erga nos). Mihi id magis spectatur, ut meam in te observantiam declarem, utcunque interim de me judicent nasuti. Hoc mihi semper cordi fuit in amicitia non vinci aut cedere velle, igitur vicissim accipe, quid nobis circa complexum hujus νεωτέρας ἐπιδημίας in praesentia occurrat, cujus ἡ πεῖρα alioqui ab Hippocrate[7]) dicta φαλερῆ tentata tamen non infeliciter a nobis in multorum aegrotorum apud Coloniam curationibus, vim atque considerationem subjecit. Fieri enim vix posse arbitror, ut constanter rem feliciter quispiam exercens a re et scopo excidat.

Principio scribis tu quidem non minus prudenter, quam vere dei optimi maximi in nos exsertam jure esse vindictam, imo nostris ipsorum vitiis lacessitam jam diu. Adeo perversae sunt res humanae, adeo per fas et nefas irruimus, sacra profanis miscentes, ut non, nisi apud paucissimos vera religio et pietas extare videatur. Quotus enim quisque est, qui verbi divini, quod multi facie oreque praesentamus, vim et energian exprimere conetur? Si per omnes mundi gradus ducamus oculos, nonne videbimus incompositissimos errorum cumulos? Nonne vitia, scelera et flagitia ad sum-

7) Aph. I. Sect. I. — Riq. —

cum inquit. Astronomia non est minima pars medicinae, et Galenus III. libro de diebus creticis cap. VII. Medici astronomiam ignorantes, corruptores vocandi sunt. Rasis II. parte Continentis. Sciat medicus astrorum scientiam. Omnesque antiqui eisdem potiuntur sententiis: quibus et docti moderni assentiunt. Anthonius Guanerius celeberrimus medicinae scriptor, tractat. de peste, differentia prima cap. II. inquit, Volens futuram praedicere pestem, aut praesentem agnoscere, necesse est, ut planetarum, stellarumque vires, et regionum proprietates agnoscat. Eandem profert sententiam Savanarola. Gentilis item super prima quarti tract. IIII. Avicennae. Et quod magis obfirmat. Scotus ille theologorum subtilis magister lib. II. Diss. XIIII. Quaest. III. Medicum astrorum scientia expertem quasi inutilem refutat. Sed ne diutius ab instituto disgrediamur, propter eos, qui non Aesopum apte contrivere, incongruas temporum qualitates, ex astrorum scientia causatas, praecipuam hujus mali caussam, indubitanter assignamus, cum visum cunctis fuerit, quam pluviosa, crassa, nimbosa, atque inconstans aestatis extiterit aura. Quam considerans Aristoteles Problematum prima sectione, XXI. aenigmate, Annus, inquit, erit pestilens, cum sol multum vaporis de terra excitat, et reversus in pluviam vertit, quare terram madescere necessarium. Fit igitur, ut quasi locis palustribus, gravibusque proinde habitetur, et corpora multis redundent excrementis, unde aegrotandi materiam consequuntur. Quam caussam etiam Avicenna noster assignat quarto libro de peste. Et reliquum, ac potissimum putrescentis aeris indicium, ut Hippocrates tertio libro epidemiarum docet, Austrini ventus, tota aestate clima nostrum suis flatibus occupavere. Secunda autem caussa, quam medici antecedentem vocant, inordinata est ratio victus, nil nisi crapulam atque ebrietatem persuadens. Nemo est qui cum Socrate sentiat, qui comedebat ut viveret: nos vero qui alterum non colimus Deum praeter Ventrem, ut comedamus, bibamusque, natos existimamus, dies noctesque ingluviei accommodamus. Nemo est qui sanus esse contendat. Adproperant patri et juvenes, claudicantes senes abesse nolunt, accedunt Sacrificuli una cum militibus, principes cum rusticis, ac tenerum, quod peplo velatur genus, crapulae castra accelerat, ut nec mirum, si nec inguinis, nec capitis, ut Juvenalis Satyra septima, discrimina sciat. Nemo est, cui placeat sobrietas. Eo igitur evenit, ut rara, vix quoque antea visa oriantur pericula, naturae etiam vires in

dies atque in dies magis debilitentur: ex quo in corporibus nostris crudi, incoctique humores, nutritivae virtuti inutiles, relinquantur: qui ultra modum acervati, putredini postea maxime efficiuntur obnoxii, ut Galenus de differentiis febrium attestatur. Et hac de caussa, crudelius arripuit haec clades inferioris Germaniae quam aliarum nationum incolas. Nam apud illos maximo datur honori quotidiana ebrietas, et qui majora novit pocula evacuare, is primatum prae ceteris defert. Tertia caussa quae a medicis conjuncta appellatur, est aer putridus per canales gutturis attractus, mixtus primum cum spiritibus, quos et primum corrumpit: demum vero sua putredine atque qualitate venenosa, humores cordis destruit, ut Gentilis loco superius allegato perpulchre enarrat. Cor enim continua indiget eventatione, ideoque necessum, ut aerem per canales pulmonis attrahat: qui si mundus, ac clarus extiterit, tales etiam spiritus generabit: sin putridus, toxicus ac malus, consimiles etiam spiritus producit. Sed quamvis vera, quae de morbi caussis protulimus, paucos tamen nobis credituros praescimus: cum plerumque et docti et indocti, tanta sint superstitione concitati, ut hunc morbum divina ultione, propter scelera nostra, ab alto ad terram dimissum arbitrentur. Quod tamen, si recte credimus, longe erroneum est: cum Dominus benignus sit ingratis et malis Lucae VI. sinatque solem suum exoriri super malos ac bonos, pluviam super justos et injustos Matth. V. ac vocet ad se cunctos, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego vos refocillabo. Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. At illi nobis objicient acerrimas veteris testamenti vindictas, quibus dominus populum fame, gladio, et mortalitate punivit. Quae tamen allegoriae sunt perpetui cruciatus illis, qui Verbo de supernis incarnato, reluctari praetendunt. Ad nos autem qui credimus Christo, licet peccatores simus, nequaquam pertingit haec umbra: cum pro lege gratiam acceperimus, Christusque non propter justos, sed peccatores, e caelo descenderit, ut eos Patri reconciliaret. Neque existimandum, quin sectae inter se digladiantes, obstinatos nisi quos habeant, a Christo nos separent: cum utraque, et Papistica, et Lutherana, ut vernaculis verbis utamur, finaliter in Christum tendat, verum quidem unam magis altera necesse est aberrare: quod nemini certius quam ipsi Deo dijudicandum, qui, Jeremia prophetante, et testis, et judex esse perhibetur. Concludimus igitur cum Galeno lib. Praediction. prim. Hippocrat. Commento VI. Deum

gloriosum nunquam affligere morbis, verum quidem, ut idem auctor lib. de liquidis motibus, nobis omni tempore praesentem, ut divinus etiam canit vates Pontanus[5]), cum inquit.

Quid vexare deos frustra juvat? Ordine certo
Fert natura vices, labuntur et ordine certo
Sidera, tam varios rerum parientia casus.
Illa suos peragunt cursus, servantque tenorem
Sorte datum, parent illis elementa, fidemque
Imperii mutare timent: sic omnis ab alto
Natura est, sequitur leges, quas scripserit aether.
Ipse deus lacto spectat mortalia vultu.

CUR PESTIS ILLA CITIUS COGNITA INTERIMAT, ET CUR BUBONES SIVE APOSTEMATA NON EXORIANTUR IN EA.

CAP. III.

Rarus, inconsuetusque hujus morbi eventus efficit, ut varii varia de ipso sentiant, longeque aliter quam nos interpretentur, et licet auctoritatibus rationibusque satis probaverimus, pauci tamen Pestilentiam esse credent: necessum igitur, si fidem consequi volumus, ut omnes quae de eo volvuntur, commentationes persolvamus. Primum quidem, curnam in XXIIII horis, aut citius interimat, quod tamen cognita, atque saepius visa Pestis non soleat? Paucis respondebimus: ex corrupti aeris substantia crassa, sive spissa provenire: quae retenta circa cor a naturali colore, neque resolvi, neque etiam expelli potest, sed sua grossitie meatus obstruendo, statim extinguit atque suffocat vitales spiritus cordis. Et haec est sententia Joannis Eschnidis Anglici in sua Summa, Distinctione VIII. cap. I. quam ex Galeno de differentiis febr. II. cap. V. decerpsit. Quod tamen Galenus clarius explicat lib. III. de crisi cap. IX. cum inquit. Gens plurima subito moritur sine crisi, id est, perfecta, in primis morbi invasionibus, cum apostema magnum in membro nobili persistit, aut in corpore materia crassa, quae subito ad interiora corporis funditur meatusque oppilat. Cur autem bubones et apostemata non appareant sub alis, aliisque membris, quemadmodum in exteris solet fieri Pestilentiis, Galenus solvit II de

5) Uran. L. I. p. 2907. T. IV. opp. — G. —

differentiis febr. cap. XI. ubi dicit, expulsoriam virtutem ob humorum crassitudinem ac viarum angustiam imbecillem reddi, nihilque posse effluere nisi quod in subtilem vaporem, hoc est, Sudorem, versum est: quem et in hoc morbo maxime videmus exuberare, unde etiam Anglicus Sudor nomen sibi vendicavit. Cur vero pueros, senesque raro, aut nunquam coerceat is morbus, facile solvendum erit. Puerorum humiditas assiduae augmentationi est accommodata: poros etiam habent raros, a matricis calido, ut Conciliator infert differentia XXVII. cum subtilitate cutis susceptos: per quos major fit eventatio atque putridi aeris per os attracti expulsio: calor quoque eorum suavior, minusque igneus, quam adolescentum, juvenum, et consistentium. Senes autem, cum ad siccitatem sint proclives, cavosque ac latos habeant poros, per quos, Galeno proximo allegato loco testante, frequens evaporatio fit, haud facile putredini locum admittunt. Sunt praeterea adhuc multa, quae nobis objici possent, videlicet, Cur uno die plus altero grassetur is morbus? cur paucis item diebus in uno loco se detineat? Quae cum responsu facilia sint, brevitatis causa pertranseamus. Caeterum ut zoilorum aculeos avertamus, qui aut livore, aut inscitia narrationes nostras refutabunt, dicturi, hoc morbi genus nunquam a nobis antea visum, perperamque auctorum sententias in usum nostrum retorsisse. Quorum virus, ut cassetur, nolumus quenquam latere, id malum etiam a nobis antea visum. Cum enim ego Frisius apud invictissimos Helvetios in Friburgo, anno post sesquimillesimum XIX. medicum agerem, oriri coepit hominum mortalitas, quosdam febre ab extra leni cum frigore, capitis gravedine, sopore inevitabili, Sudore totum corpus penetrante, arripiens, nullo apostemate, aut tumore ab extra percepto, in viginti quatuor horis interfecit: et qui evasere, aperta dehinc peste, quae paucos post dies subsecuta, interemti sunt. Sin vero et nobis nunquam visa fuisset, medici non essemus appellitandi, ut Galenus sexto therapeutices cap. primo, si de non tractatis tractare, atque rationabiliter operari nesciremus.

QUIBUS CORPORA AB HAC LABE CUSTODIENDA.

CAP. IIII.

Cum nil ad hominum sanitatem prosit, prolixa de morbis atque eorum causis edere commentaria, neque verba, sed remedia curent, ut Celsus inquit, conveniens duximus, brevibus adnotare

quibus perniciosa lues arceri possit atque depelli. Primum ne sana corripiat corpora, cum sanitatis conservatio, Aristotele de regimine Principum docente, inter medicinae partes potissima sit, diligentiaque nostra, ut Marsilius Ficinus de longa vita, longam etiam vitam praestet, si quae et obsunt et prosunt, sana mente auscultamus. Ideoque Galenus II. de tuenda sanitate, dixit. Qui liber est a necessitatibus, potest custodiri sanus, ut non aegrotet, et senescat opportune. Quae igitur observanda, paucis enumerabimus. Primum quidem Rasi ad Almansorem IV. assentientes, qui fugam tutissimum remedium narrat: cum multa in pestilenti loco offendere possint, non solum aeris corruptio, ac frequens hominum conversatio, verum quidem ardua imaginatio, ex tristibus funerum objectis concepta. Quantam illa vim habeat in transmutatione naturalis temperaturae, et quales habeat producere effectus, tam bonos quam malos, his constat qui Proclum, Piccatricem, Marcum Damascenum, aliosque in naturali magia peritos perlegerunt. Quare consultissimum videtur, quod ii, quos nulla manendi causa detinet, ab infecto loco, ad salubrem se conferant. At quia fugiendi facultas non omnibus conceditur, alia ratione corpora communire oportebit, ne exitiali putredini obnoxia maneant: cum secundum Galenum primo de different. febr. cap. IV. caussae non agant nisi in patiente disposito. Quae autem corpora magis disposita, paullo antea refert, cum inquit. Calida et humida corpora facile putrescunt. Qua propter subsequenter de corporibus a pestilenti furore praeservandis, brevibus totius negotii energiam nobis exponit, cum jubet statim ab initio corpora humida exsiccare, sicca conservare: quae vero excrementis redundant, expurgare: quae autem absolvenda, sequenti sermone docebimus.

DE AERIS SALUBRITATE.

CAP. V.

Paullo antea putrentem aerem, hujus morbi caussam intimavimus: qui cum a nullo vitari possit, eo quod elementum est nostrorum corporum atque spirituum ut Avicenna secunda Fen. primi, congruum videtur, ut ejus rationem primum explicemus. Qui igitur letifero hoc tempore tuta habitacula sequi non potest, is praecipue caveat, ne in crasso, aut nubiloso aere versetur: domum taliter aptet, quod nusquam meridianos atque occiduos recipiat ven-

tos. Habitaculum a terra sit elevatum, non depressum, non paludinosum, nec prope stagna aquarum, aut male olentes officinas, procul a coemiteriis ubi mortuorum cadavera sunt sepulta. Ventis pateat, a septemtrione et oriente spirantibus: sit et montium et pratorum amoenitate circumfulsum. Postea quam maxime curandum, ut habitationis aura omni tempore sit pura, odoremque redoleat delicatissimum: quod commode fit, si solares radii nonnunquam habitaculum perlustrent. Caeteris vero temporibus, ignis accensus de lignis aridis, non eo anno quo pestis irruit sècatis, auram corrigit, atque mundificat. Praesertim de Junipero, Pino, Quercu, Lauro, Savino, Rore marino atque Vitium sarmentis. Consimiliter et redolentia pigmenta carbonibus injicienda sunt, Styrax calamita, Laudanum, Gallia alipta, Gariophili, Thus, et alia id genus. Quorum vices supplent candelae, quas vulgo usiletas nuncupamus. Irroranda quoque habitatio aqua rosacea, et foliis herbarum fragrantium sternenda, Majorana, Menta, Rore marino, Basilicone, Melissa, et similibus. Quemadmodum Galenus in libello de commoditate Tyriacae ad. Cesarem [6]), Hippocratem narrat fecisse, cum inquit. Laudo mirabilissimum Hippocratem: quoniam pestilentiam illam, quae de Boemia ad Ellines pervenit, non aliter curavit, quam aerem alterans. Jusserat enim per civitatem totam accendi ignem, non tamen simplicem, sed serta, flores ac pigmenta superfundere, ut purissimum inspirarent aerem, ad liberationem eorum permutatum. Sunt praeterea lapilli quidam, quos antiqui tradunt sua vi occulta auram castigare, omnemque putridum vaporem excludere. Quales sunt Saphyrus, Hyacinthus, Smaraldus, Prassius, Sardonix, et Corallus: quibus tamen fidere non suademus, cum non eam quam olim teneant virtutem.

DE VICTUS RATIONE.

CAP. VI.

Nunc de victus ratione disputabimus, quae rapaci illo tempore accuratius observanda est. Consistit autem omnis diaeta, ut Galenus inquit Aph. P. I. commento XIX. in tribus, qualitate, quantitate, et quando: hoc est, quid sit comedendum, quantum, et quo tempore. Proinde primum quanto succinctius fieri potest, alimen-

6) Leg. de Theriaca ad Pisonem, et paullo post pro Boemia leg. Aethiopia. — G. —

torum qualitates percurremus. Generaliter omnia cibaria siccitati attineant, coctu facilia sint, bonumque succum generent, sint anno salubri collecta, quem nulla pestis defoedavit. Non decreveramus, sermonem de illis in tantum protelare, cum plures ante nos, aetate etiam nostra, Pestilentiae regimen satis docte praescripserint, Marsilius Ficinus[7]), Joannes Widmann[8]), Heinricus Stromerus[9]) et multi alii, at ne monstrosum, mancumque partum ederemus, singillatim omnia repetenda censuimus, exordiendo a pane principalissimo hominis cibo. Sit ille de frumento bono, non nimis veteri, sive vermibus exeso, neque eo anno quo pestis exorta, abmesso: sit albus, non tamen omnino a furfure spoliatus: sit salitus, bene fermentatus, bonisque lignis coctus: non cum recens clibanum exiit comedatur, sed unius diei naturalis habeat aetatem. Azymus panis devitetur, quod viscosum praebet nutrimentum, ut Averroes dicit V. Colliget. Lagana etiam et omnia placentarum obsonia vitanda sunt.

DE CARNIBUS.

CAP. VII.

Expedito pane, de carnibus disseremus, quae ab animalibus libere in montana pascua nutritis, eligantur. Vitentur, quae in stabulis ad saginandum detinentur, et quae immunda atque coenosa appetunt loca. Adsciscantur bovinae carnes binorum vel trium annorum, Vervecis mediocris, non nimium obesi, neque macilenti. Vitulinis, agninis, hoedinis carnibus uti non licebit, nisi assatae fuerint in veru, acetoque et aromatibus perfusae. Avium silvestrium esus convenit, perdicum, fasianorum, ornicum, turdorum, merularum, alaudarum, et sturnorum. Gallinae quoque juvenes et Capi esui conveniunt, dummodo corrupto aere vitiati non sint. Gallinis namque infestus est, quas plus quam semel infectas vidimus peste. Anseres, aquaria volatilia omnia, porcinae carnes omnino dimittantur. Ex silvestri autem venatura, approbamus cervum juvenem, ca-

---

7) Tractat. singul. doct. viri Mars. Ficini de epidemiae morbo ex ital. in lat. versus. Aug. Vindel. 1518. 8. — G. —

8) Jo. Saliceti, dicti Mechinger, Tractatus de pestilentia. Tub. 1502. 4. Vers. germ. Strasb. 1519. 4.

9) H. Stromers Auerbachii Saluberrimae adversus pestilentiam observationes recens editae. Mogunt. 1517. 4. Hunc virum summis laudibus effert Ulricus ab Hutten (De Guajaci medicina. Praefat.). — G. —

preolum, leporem juvenem et annuum. Ceterorum usum dissuademus. Domesticarum tamen bestiarum carnes, una cum Hali abbate, Theoricae diss. reg. lib. V. cap. XXI. silvestribus praeferimus. Omnium animalium exta inutilia pronunciamus. Salitam carnem juniperino ligno parum fumigatam non interdicimus, si ea quae Avicenna II. Can. cap. CVI apte intensioni nostrae applicamus: frequentem tamen aut assiduum usum non consulimus, propter alia inconvenientia, quae Galenus III. de affectis locis cap. VII enumerat.

DE SUMTIS AB ANIMALIBUS.

CAP. VIII.

Ova a gallinis in sano loco nutritis, recens edita, optimum edulium praestant, si dura, aut butyro, vel oleo frixa non sint. Lac, Caseus et omnia ex lacte confecta inimica sunt: cum putredini facile pareant, citoque in ventre corrumpantur. Caprino tamen, aut acetoso liberius utendum lactiphagis, qui sine lacte vivere non possunt. Butyrum pro pulmentariorum condimento non reprobamus, nec tamen eo crudo vescendum est, ut Rasis ad Almansorem III. habet.

DE PISCIBUS.

CAP. IX.

Piscium natura cum frigida atque humida sit, ut Isaac in particularibus diaetis testatur, facile contuendum, eorum nutrimentum, hoc tempore parum competere. Offendunt tamen minus squamosi, saxatiles, in fluentibus aquis prensi, ubi bonis condiuntur aromatibus. Marinos autem pisces, ex occidentali oceano in Germaniam advectos, solis alecibus demtis, omnino refutamus: cum nil nisi putorem generent, tantum quidem, ut nundinas, sive emporia nonnunquam suo squalore inficiant, ubi cumulis repositi jacent. Stulta autem superior Germania, pro vino fragrantissimo sordidissimos a Brabantinis strumulos capit.

DE FRUCTIBUS.

CAP. X.

Fructus omnes, inquit Isaac in universalibus diaetis, pravi nutrimenti sunt, subitoque in corruptionem putredinis vertuntur: eos igitur hoc in periculo prorsus damnamus. Minus tamen illos, qui

ventrem leniunt, ut Galenus inquit de subtiliante diaeta, cap. X. Hi autem sunt, Mora, Pruna, Cerasa et Ficus. At quia appetitus eisdem plurimum gaudet, nonnunquam concedimus uvas, poma redolentia et cerasa pontica, quae tamen prius solis radiis perlustrata sint, aut prope focum ignis paululum antequam comedantur, astiterint.

DE LEGUMINIBUS.

CAP. XI.

Legumina medullae inutiles, brodia tamen bona: Ficinus brodium lentis extollit, cui et nos condescendimus, cum mirum in modum putidos a sanguine pellat vapores. Avenatum admittendum est. Rapas, napos, pastinacas et fungos interdicimus: concedimus autem boraginem, buglosam, betam, spinachiam, intibum et petroselinum: neque Allii, ac Raphani usum, in hac peste vituperamus.

DE CONDIMENTIS CIBORUM.

CAP. XII.

Quibus obsonia condienda enarrabimus. Omnia acetosa conveniunt, punica mala, arantia, limones, citri, acetum rosaceum, succus uvae non maturae, berberorum, acetosae. Haec omnia proderunt temperando calidorum cibariorum acuitatem, ubi aestivo tempore procax irruerit Pestilitas. Frigida autem atque nimis humida fercula temperentur Gingibere, Galanga, Cinamomo, Nuce muscata, Cardamomo majori, Chariophilis, Mace, et croco. Salvia item, Menta, Serpillo, Rore marino, et Majorana. Commendamus piperis aliquot grana integra, juribus aut aliis esculentis adjecta. Hiberno tamen tempore horum usus frequentior sit quam aestate. Conferunt etiam cappares conditi, olivae conditae, et alia id genus, quae opiparis conviviis solemus adjungere. Mellis autem, atque zuchari usus frequens non sit: neque cibaria pinguia, aut unctuosa plurimum.

DE POTU.

CAP. XIII.

Quod vero ad potus attinet rationem, concordi medicorum sententia, vino claro, albo vel subrubeo, modicum pontico utendum erit: quod dilutius bibant adolescentes, meracius vero qui in altiori aetate consistunt. Quod si ob regionis naturam, aut anni inopiam accersiri non potest, clara bibatur Cervisia, qualis illa quam Embecensem vocant.

QUANTUM, ET QUOMODO COMEDENDUM.

CAP. XIV.

Consummata mentione de ciborum qualitate, quantitatem comedendi restat interpretari. Desit igitur omnis nauseativa satietas ventrem gravans, cum, Avicenna tertia primi doct. II. cap. VII. docente, vehemens repletio in qualibet dispositione sit pernecabilis, sive ex comestione, sive potu provenerit. Observanda igitur mensura cibi et potus: neque obsoniorum multitudini pro una refectione indulgendum. Cum apud medicos non solum, verum etiam apud alios quosque prudentes, accurata crapula vitio detur. Quod etiam sapiens indicat Solomon Eccles. XXXVII. cum inquit, Noli esse avidus in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, et propter crapulam multi periere. Acrioribus autem verbis Galenus in lib. de venae sectione, intemperantiam sive gulam increpat: ubi medicos adhortatur, ne gulosis manum imponant: eo, quod nullo prorsus sint medicandi remedio. Nolumus tamen nimia fame, sive siti, ut premaris, sed quantum natura expetit, omnia cum moderamine tentes. Sat quoque erit, bina diei naturalis refectio. Nisi abunde calidum habueris stomachum. Prandium etiam coena sit parcius.

DE RELIQUIS, QUAE AD SANITATIS REGIMEN REQUIRUNTUR.

CAP. XV.

Sunt praeterea alia quae corporis sanitatem habent conservare, si debito modo administrentur. Exercitium videlicet, et quies, coitus, balneum, somnus et vigilia, repletio et inanitio, affectus item animi: quae cum a multis pertractata sint, compendiose percurremus. Videtur motus laboriosus, anhelitum gravans, multamque inspirationem expostulans. Nec tamen otiose quis vivat, sed jejuno ventre, alvo prius purgata, corpus leni exercitio moveatur, aut spatiando, aut laborando, aut corpus calentibus pannis perfricando. Sed recens cibo assumto nulla corporis sit fatigatio, sed animus solatiosis confabulationibus, cantu, ludo, jucunda lectione, aut alia re oblectationem pariente, exerceatur. Sub exercitii autem limitibus venereus comprehenditur ludus, quem omnes medici execrabilem faciunt, detestantur, atque insidiosissimum praedicant hostem, qui tamen multis praesidium confert, cum humida corpora exsiccet, unde pu-

tredini maximo obstaculo est. Hujus argumenti scrupulum solvit Avicenna lib. III. Fen. XX. cum post coitus quasdam adnotatas utilitates subjungit. Ubi caliditas est fortis, et spermatis excretio non debilitat. Ex quo constat, concubitum noxium non esse illis, quibus abstinentia dura, et quorum corpora calida multisque repleta humoribus. Adhuc balnea sub exercitii dominio detinentur, quorum usus cum plerisque sit peculiaris, atque in tantum domesticus, ut victuros vix se credant, nisi hypocaustis aut stuphis in hebdomada ad minus semel corpora purant. Is mos Germaniae nostrae tantum inolevit, ut nisi ita assueti prosequerentur, gravissima inde pericula contraherent. Quapropter balneandi usus hisce letalibus diebus praetereundus non est, corpore tamen a fecibus purgato, et ventre vacuo, sive jejuno existente: nec tamen balnei mora prolixa sit. De aqueis vero balneis nullum est quod, praeter sulphureum conveniat, praesertim ubi corpora exuberanti pituita redundant. Somni regula observetur, ut nocturnus octo horas non excedat. Vigilia autem diei inserviat. Deinceps danda opera, ut excrementa omnia per naturae vias exeant, et quae in corpore retinenda retineantur. Quae si natura nequeat perficere, periti medici consilio impetrentur. Caeterum contuenda corpora, ne perturbationes, tristicia, ira, metus et nimia sollicitudo animum anxient: non numerentur funera, nullaque de morte fiat mentio, sed hilaritate, cantu, musicis instrumentis, jucundis fabulis, speciosis puellis, tamen honestis, et lectionibus gratis mens ipsa coerceatur.

DE MEDICINIS AB ILLA PESTE CONSERVANTIBUS.

CAP. XVI.

Nunc medicinarum opem imploremus, ut pestiferum malum tutius evitare possimus. Volens igitur hanc labem effugere, corpus primum humoribus plenum, aut venae sectione, aut congruenti pharmaco expurget: venae quidem sectione ubi sanguis qualitate, quantitateve aberrarit: pharmaco autem, si biliosus, aut pituitosus supercreverit humor. Id tamen propter individuorum inaequalitatem, nostris lucubrationibus apte inserendum non erit, medicorum autem opera expetendum, monstratis corporis compositione, excrementis, aetate atque regimine. Nec tamen parabolanis fidendum empiricis, qui ut Plinius inquit XXIIII. cap. I. vitam cuique promittunt venenalem: et XXIX. cap. I. periculis nostris discunt, atque per experimenta mortes agunt. Adhuc minus illis, etiam si biretati et

annulati sint, qui sola urina de homine judicare praesumunt: cum nihil his divinatoribus, unquam in mundo pestilentius surrexerit, neque ab orbe condito visa fuerit pestis, quae tot absorbuerit homines, quot illi lotiarii medici suis divinationibus: ut antiquorum dogmatibus clarissime probabimus, cum hasce nequitias in lucem ventilabimus. Dejecto itaque sanguine, aut pharmacis sumptis, multa ab antiquis et modernis traduntur, quae morbi illius perniciem opprimunt. Plinius lib. XXIII. cap. I. vinum in pestilentia magnam vim habere narrat: et VIII. dehinc capite, Lauri delphicae folia trita, olfactaque, pestilentiae contagia prohibere. XXIIII. libro XVI. capite. Dracunculum, id est, Jari radicem, et Pseudobunion salutares insinuat. XXVI. autem lib. cap. IX. exorcismo tradit olim pestem fascinatam, cum inquit. Negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda virgo restinguat. Sed haec Plinianis simeis donamus, quae medicae artis vires, nusquam nisi in Plinio abditas, arbitrantur: cum tamen nihil praeter fabulas doceat aniles. Caeteri vero medici ratione magis praeclari, multas et simplices, atque compositas tradiderunt medicinas. Simplices, lutum lemnium, lutum armenum, radices diptami, tormentillae, sigilli Solomonis, morsus diaboli, tunicis, gentianae, pimpinellae, arthanitae, enulae campanae. Herbas autem, scabiosam, acetosam, farfaram majorem, rutam, multasque alias, quas recensere nimis prolixum esset. De compositis autem, Tyriacam medicinarum dominam: quae quantam adversus hunc morbum vim habeat, Galenus noster in libello de Tyriaca ad Caesarem, magna cum laude depromit. Rabi Moses particula XXI. de Tyriaca, talia loquitur. Quidam medicus sapiens mihi retulit, quod cum Antiochiae terram Pestilentia corripuerit, omnes medicinae praeter Tyriacam debiles inventae sunt, quae sola a morbo captos liberavit, sanos custodivit: qui vero eam sprevere, obiisse. Rufus Pillulas tradidit, quarum actio tantam a multis annis meruit laudem, ut vulgato nomine, ubique terrarum, Pestilentiales, nomen sortitae sint. Sed de his sat erit. Nam in nimis longum excresceret sermo, si tam varia huic exiguo ingereremus libello. At unum experientia edocti, de nobis polliceri non erubescimus, unumquemque, Deo opt. maximoque favente, a loetiferis minis posse tueri, qui nostris utetur remediis: quae tamen hac paginola propalare nolumus. Cum haud mediocri vigilia, difficilibusque curis, ea nacti simus: sed quae parata tenemus, perquam lubenter omnium postulantium obsequia adibunt. cum Luc. XVI.

verus Imperator noster jubeat, proximum non minus quam nos ipsos diligere. His tamen qui nostra non possunt attingere remedia, aut quibus facultas non suppetit, ut illis potiantur, aliam viam indicabimus, cujus tutamine haud parum gaudebunt. Tyriacam bonam comparent, non tamen eam quam circulatores in foro Alexandrinam proclamant, sed eam quae ab honestis venditur pharmacopolis. Hujus tertia semper die, avelanae quantitas cum vino bono, mane ante exitum a domo capiatur, et absque pastu sumens per duas horas se detineat. Diebus autem intermediis electuario utendum, quod Liberans inscribitur, mane quidem eo, ut de Tyriaca instituimus canone. Pillulae item Rufi, sive Pestilentiales nonnunquam ante coenam transglutiantur numero tres, vel quinque. Qui vero magis oblectantur, ut ea ex quibus medicamenta conficiantur, pernoscant, his haud ignobile describemus remedium, quod et pauperibus atque divitibus levi precio impetrandum. Id a Plinio secundo, lib. II. cap. IV. in hunc inscribitur modum. Accipe nuces siccas duas, ficus duas, Rutae folia viginti, Salis granum unum, omnia simul trita, mane jejuno ventre comedantur. Nolumus medicinarum cumulo stomachum tuum obturbare, paucis tamen selectis, rogamus acquiescere velis.

CURATIONIS MODUS, CUM MORBUS JAM INVASIT.

CAP. XVII.

At vero cum propter salutis incuriam, aut infelicem fortunae eventum, qui rerum penuria pauperibus praeservationem abscindit, vix contingit omnes hunc morbum posse effugere, necessum, ut et male habitis manum porrigamus, qua mortiferam hanc foveam valeant exilire. Vidimus inferioris Germaniae curas a medicis profecto perdocte praescriptas, arbitrio tamen nostro nimis arduas, tam strenuasque, ut quam plures eisdem conjectemur expirasse, qui alias morbi maleficio vitam minime finiissent. Quod auctorum sententiis facile probabimus, si cui videtur nos in alieno foro contendere. Sed haec missa faciamus, rem quae dilatione non eget, aggredientes. Periculosa hac tempestate, cum quis gravatum se senserit, anhelitusque spissior solito factus, accensa febre, vel aestu, vel frigore, cui penetrans adhaeserit sudor, mox hac labe se credat infectum. Confestim perinde sine mora lectum acceleret, non tamen de mollioribus plumis consertum: qui duplis, aut triplis consternatur lintheaminibus: dehinc vestibus exutus, quod contra alios est, ad lectum se reponat,

ac rursum pluribus lintheaminibus obtegatur, itaque praeter caput nullum membrum promineat. His omnibus lanea adjiciatur stragula, aut vestes tot quot satis fuerit, pelliceis atque plumaceis tegumentis procul remotis. Aegro in hunc modum locato, cubiculo optime obstruso, ne aer penetret, igne atque suffitibus incensis, ut supra admonuimus, aeger mox nostrum bibat pharmacum, quod ita ex pharmatheca petendum. Accipe tyriacae Andromachi drachm. β. radicis ciclaminis scrupulum unum, aquae scabiosae unc. jjj. sublimati vini unc. jβ. Redactis illis in potum aeger bibat, et solerti amicorum vigilia, pane assato, aceto et similibus custodiatur, ne assumtum vomitu dejiciat. Sin autem in rure correptus, sola tyriaca, vinum et aqua simul mixtim potata sufficiet. Quod licet binis sit fulcitum medicinae instrumentis, ratione, et experimento, plures tamen adversum nos insurgent medici, opus nostrum prorsus dilapidantes: propterea, quod natura cum morbo proelium inierit, a medicis crisim vocatum, qua pugnante nullum exhibendum sit remedium, Avicenna teste quarto cap. Fen. II. Tract. II. cap. X. Quibus autoris sententia respondemus allegato loco, tract. I. cap. I. In principio morbi nunquam fit, nisi perniciosa crisis, cum morbus sit periculosus, atque pessimus. Id etiam affirmant Rasis in Continenti II. parte cap. XXXII. et senex noster Avenzoar, tract. III. cap. I. modo cum in periculosis morbis opus sit frangere leges, neque naturae operatio expectanda, quam certum est vinci, nisi medicinae adminiculo sublevetur. Et haec est doctrina Galeni Aphor. particula I. comment. XX. et XXII. cum inquit. Quasi natura imbecillius agat, id quod deficit, oportet supplere, ut crisim faciat perfectam cum utroque, id est, se ipsa, atque medicamine juvante. Nec tamen diversi motus concitandi sunt, ut, si natura ad exteriora velit materiam expellere, medicus e contra. Quod cum ita se habeat, omnem jubemus impendere operam, ut aegrotans ad VI horarum spatium, assidue sudet, utrisque lateribus suis et inguinibus vascula aenea strictis orificiis applicentur: in quibus herbae vino fortissimo bullitae adhuc fervidae collocentur: aegroto pannis obtuto, ne fervore offendatur. Herbae sint Pimpinella, Hypericon, Vicetoxicum et Valeriana. Custodes adhibeantur vigilantissimi, non tamen cucullati Fratres, sive perversi, qui omnem spem, omne gaudium, omnemque quaestum in sepeliendis hominibus collocarunt, sed simplicibus atque pauperculis fidendum, qui hominum vita uberius quam morte, emolimentum consequi sperant. Officium custo-

dum tale sit. Detineant lecti cooperimenta fortiter occlusa, ne aer ingredi possit: somnum aegroto non admittant, quo periculosius nihil est. Excitent igitur cum cantu, clamore, locutione, et strepitu: quae si nihil contulerint, barba, pilisque trahant, commoveant, atque inquietum reddant. Plurimum tamen proderit saepius tempora, naresque aceto irrorare, in quo modicum salis nitri fuerit dissolutum. Peractis itaque sex horis, aeger a sudore pannis optime mundificetur, aliisque calentibus lintheaminibus involvatur, et ab aere diligentissime custodiatur, neque tamen ad sudandum tam fortiter coerceatur. Interea autem, ne deficiat aeger, interdum bibendum illi tribuatur vinum subrubeum, aut album ponticum, aqua cocta dilutum: cui si saphyri lapidem imposueris, nobilem effectum consequeris. Nec tamen consulimus, ut cordiales eis medicinas adhibeas: cum verendum, quod eorum virtute venenositatem ad cordis capsulam ducant. Nihil comedat aeger antequam duodecim horae sint delapsae. Per triduum quoque a carnium esu abstineat: vescatur avenato pulmentario, aut amigdalino lacte, aut jusculo de albumine ovi, cum modico aceti. Se quoque ita contineat, quousque pristinam recuperarit sanitatem. Adepta autem rursus sanitate, prudentis medici consilio, superfluos humores expurget, ne Charybdi liberatus in deteriorem incidat Scyllam, futuram paucis parcituram Pestilentiam, cujus Anglicus ille Sudor certus praecursor existit. Deus autem misericors, dignetur sua gratia, animarum pestem avertere, cui soli laus et gloria in aevum. Amen.

Tabula Capitum.

Quid sit aegritudo haec, et quod nomen mereatur, cap. I.
De caussis hujus morbi, cap. II.
Cur pestis illa citius cognita interimat, et cur bubones sive apostemata non exoriantur in ea, cap. III.
Quibus corpora ab hac labe custodienda, cap. IV.
De aeris salubritate, cap. V.
De victus ratione, cap. VI.
De carnibus, cap. VII.
De sumtis ab animalibus, cap. VIII.
De piscibus, cap. IX.
De fructibus, cap. X.
De leguminibus, cap. XI.

De condimentis ciborum, cap. XII.
De potu, cap. XIII.
Quantum, et quando comedendum, cap. XIV.
De reliquis, quae ad sanitatis regimen requiruntur, cap. XV.
Finis [11]).

---

11) In fronte exempli, quod in bibliotheca Argentoratensi conservatur, haec adscripta sunt:

„Tetra haec lues quae et novitate, et medelae ignorantia terribilis, ex Anglia (unde et nomen sortita est) primum in Flandros, Brabantinos, dehinc et Hollandos multorum internicie impetum fecit, postea paulatim Germanici oceani littus legit, atque magna strage Lubecorum Hamburgorumque, deinceps omnes Saxoniae peragrata fines, ad superiorem Germaniam progressa est, ubi (ut est imprudens hoc mortalium genus et indoctum) multi medicorum imperitia interierunt. Laboravimus et nos hoc foedo morbo, deo optimo maximo opem ferente utcunque bonae valetudine restituti sumus. Remedium vero erat, in biduo et cibus et somnus parcior, potus non nisi ordeo attrito aqua. Dii talem a (nobis ?) avertite pestem. Anno MDXXX.

Henricus ab Eppendorff.

Das aller bewertest vnn kürtzest Regiment,

Für die newe Kranckheyt,

die Englisch Schwaysssucht genannt,

wie man die yetzunder zu Franckfurt, Mentz, Wormms
vnd Speir geprauchte,

Durch die Doctores daselbst für die best Artzney erkennet,

den gmainen menschen zu gut in Druck gegeben vnd aussgangen.

MDXXIX.

So einer mit diser kranckheit[1]) wirdt begriffenn yhm beth, sol er darinn ligen bleiben vnd man soll jm einn tuch binden vmb den halss, vnnd eins vmb das haupt, vnd eins vnder die achselln, doch daruor warme gemachet, binden.

Wo aber der kranck in klaidern kranck wirt, soll man jn dergleichen in zway weiss leylach inn hosen vnnd wammess legen, so er aber noch nit angefangen zu Schwytzen soll man jn ausstthun, vnd in einem warmmen hembd in das beth legen, vnd in den beyden fällen jm nitt mehe, dann ein einfache wulle deck vnd ein einfachen rock über decken, vnnd auff jede seytten neben die deck ein langen einfachen rock vnnd zu fussen den langen weg zusamenngelegt, legen, vnd mit fleiss die deck verwaren, das kein lufft vnnder die deck komm, auch die achseln, die hertzgrub vnd den halss vnden, vnd die füss vor lufft verhüttenn, vnd jn allweg versehen, das der kranck nit zu haiss gedeckt sey, wann vil leutt dardurch verderben vnd sterben.

Item, man soll allweg fürsehen das der krancke in XXIV stunden keins wegs schlaff, dann so er schlaft yn den XXIV stunden, so ist er des tods, desshalben sol man dem krancken die nasslöcher die schleff mit rottem Rosenwasser vnd Essich für vnnd für bestreichen.

Es sol auch der kranck mit dem haupt hoch ligen vnd das angsicht ploss gelassen werden, vnd am anfang so der kranck anfacht zu schwitzenn, sol mann des acht nemen, vnd in dem schweiss mit einem reynen warmen thuch von dem angesicht abwischen, vnnd darnach ein schwamm oder leyne tuch mitt gewermten roten Rosenwasser vnd Essig die schleff vnd nasslöcher bestreichen.

---

1) S. l. Constat tribus foliis, adest in Bibl. Gorlicensi senatoria (— et Monacensi regia. — H. —). Libellus isthic cum maxime sumtus et descriptus ex Euricio Cordo esse videtur (? — H. —), superadditis compositionibus vulgaribus et parabilibus. Quisquis ejus auctor fuerit non liquet. — G. — (Exemplar Monacense denuo comparavi. — H. —)

Item, so dem krancken die grosse stich in das haupt vnd an das hertz kommen, das etlich vmb die VIII stund, etlich vmb X stund, etlichen vmb die XI oder XII stund kommen, so sol man dem krancken das haupt mit dem bette vnd haupttküssen erhöhen, das er nit erstick, vnd im selben erhöhenn, wohl achtt nemen, das der kranck nit entplöst oder auffgedeckt werd.

Darnach sol man nemen jjj oder jjjj Berlin, dessgleichen jjjj. Corallen, vnd die zusamen klein stossen zu buluer, vnd darunder ein wenig zuckerkanden, vnd darunder ein teil rott Rosenwasser gethon, vnd warm gemacht, dem krancken einn leffelvol oder zwen eingeben, vertreibt die stich vom hertzen.

Wann der kranck vmb die XV oder XVI stund gelegen hat, sol man jm labung eingeben, Nemlich von einem gestossen hon oder Rephon, gesotenn vnd warm gemacht, allmal ein löffel vol eingeben, man mag jm auch Coweben oder der kleinenn roseinlin vmb die vorgeschriben stund eingeben:

Es sol auch der kranck nit allein gelassen werden sonder stets drey person bey jm haben, vnd bey leib nit schlaffen, der schlaff sol auch jm gewert werden mit reiffen schlagen vnd wie man jm das geweren kan.

So nun der kranck also verwart XXIIII stund gelegen hat, muss man acht habenn, darnach ein yeder gestalt oder zart von Complexion ist, vnd sonnderlich so er faist von leib ist, soll man jm mit warmen thüchern auffhelffen, vnd ein warmes hemmet vnder die deckin langen, alles mit sorgen, das der lufft nit hinein kumm, vnd den krancken mit einem warmen tuch oder zweyen jm selbst zuuor lassen den schweiss vnder der decken abdrücken, darnach sol man den krancken helffen auff ein ander warm beth, vnd darauff warm leilacher legen.

Man mag auch dem kranckenn ein kleines süplin mit schlechtem lautterm wein machen, so er lust hat zu essen, zuuor ee er in das ander beth kumptt, geben.

Vnd so der kranck zwu stunnd geschlaffen hatt, soll man jn wecken, vnnd ein viertelstund mitt jm schwetzen, darnach mitt dem hauptküssenn wider erhöhen, vnd in ruen lassen, So schwellen jm dye hend finger vnd die arm vnd ettwan einem lenger denn dem andern.

Remedia praeservativa, Wie mann sich vor solcher kranckheit bewaren sol.

Item rot rosenwasser, wermut wasser, rauttenwasser distiliert, Ein guttenn wein essig, eines als vil als des andern, drinck morgenns fru einn leffel vol.

Item, nimm bletter von den rotten gartten rosenn, wermut samen die knöpflin, rautten, als gleich vil, vnd yeder sonder gestossen, vnnd in ein wein zusamen gethon, vnd wol zugedecktt, vnnd morgens zwen löffel vol daruon drincken.

Item, nimm ein zwibel, vnd höle die in der mitten herauss, vnd thu darein gutten Tiriack, vnd brot die waich, so du nit mehr essen oder trincken wiltt des abends, so jsse die zwibel, lege dich darnach zu beth, vnnd deck dich warm zu, so, das du schwitzest so mehr so besser, vnd lege dich darnach druckenn, so soltu die sucht nit bekommen.

Item nimm für jj. batzen muscat blütt, siben negelin, ein Musscatnuss, das alles gestossen in ein reins tüchlein gebunden vnd gewermt, in ein käntlin gethon, darabe gedruncken, wann einem die stich vergeen, zu einer labung.

Ein frölich gemüt vnnd ausschlahen menschlicher forchtt, ein guts vertrawenn zu Got, ist die best Artzney.

Ein Nützliches vnd Tröstlichs Regiment

wider die Pestilentz,

vnd gifftig Pestilentzisch Feber,

die Schweissucht genant,

Vnd sonst mancherley gifftige vnd tödtliche Kranckheit.

Durch

Casparum Kegeler,

der Ertzney Doctorn, weilandt zusammen gebracht,

vnd mit viel tröstlichen Experimenten, Anno 1529 zum Andernmal von jm selber ernewert vnd gebessert.

Nun aber zum Drittenmal durch seinen Son Melchiorem Kegeler, beider Thumbgestifft zu Breslaw Syndicum, mit etlichen bewerten aus obernantes seines Vatern seligen hinderlassener Practica, Stücken vnd Recepten, vermehrt vnd in Druck gegeben.

Jtzt auffs New widerumb zu Leipzig durch Johan. Rambaw gedruckt,
Jm Jar MDLXVI.

Nachdem aus Gottes des Allmechtigen Verhengnis [1]), numehr hin vnd wider jerlich die erschreckliche vnd abschewliche Seuche

---

1) [Editio, quam secutus sum, est tertia, hanc enim ipse in manibus habui. Possidet hanc quoque illustr. Lorinser, Oppeliensis, neque minus in bibl. acad. Jenensi tria ejus praesto sunt exempla. — Grunerus recte statuit, ex libello nugarum atque formularum obsoletarum plenissimo, ea tantum recipere, quae ad sudorem anglicum pertinerent. Cum vero nonnulla praetermississe, nonnulla quoque conservasse videretur Grunerus, quae mihi vel recipienda vel rejicienda viderentur, denuo taediosam excerpendi suscepi operam. — De editionibus libelli, quorum, quod mireris, sunt octo, mox audiamus Grunerum. — H. —]

Editio princeps hujus libri inscribitur: „Eyn Nutzlichs vnd trostlichs Regiment wider dy Pestilentz vnd Gifftigk Pestilentzisch Feber die Schweyssucht genant, vnd sust mancherley gifftig vnd tödtlich Kranckheit, Durch Casparum Kegeler, ertzney Doctorn zwsamen gebracht, vornewt vnd mit viel tröstlichen experimenten gebessert. Die zuuor heymlich gehalten, vnd an den tag nyhe gegeben seyn. anno 1529 aussgegangen." Leiptzig bey Valten Schumann. 1529. 8. fol. 36. (Bibl. Rivin. Thomas. et Trew. Altdorf.) — Altera editio sic inscripta est: „Ein nutzlichs vnd trostlichs Regiment wider dy Pestilentz, vnn Gifftigk Pestilentzisch Feber die schweissucht genant, vnd sunst mancherley gifftig vnn tödtlich kranckheit, — durch Casparum Kegeler, der Ertzney Doctorn, zwsammen gebracht, vornewet, vnn mit viel tröstlichen Experimenten gebessert, die zuvor heymlich gehalten, vnd an den tag nyhe gegeben seyn, Anno 15. 2. 9. ausgegangen, auffs newe widerumb zu Leipzig gedruckt, im Jahr M. D. LIII. 8. [Hanc sicut et tertiam possidebat Grunerus, nunc exstat in bibl. Heckeriana. Inscriptio hujus alterae editionis apud Heckerum eadem est quae apud Grunerum, varia tamen orthographia. Quid quod ejusdem anni 1553 ejusdemque inscriptionis editionem in manibus ipsi teneam, quae ab utraque, et Heckeriana et Gruneriana, orthographia differt. Ita ut ejusdem anni 1553 tres sint editiones. — Tertiam editionem supra indicavimus. Vix credas, quod in hujus praefatione edicit Melchior Kegeler, priorum editionum plura millia exempla esse in vulgus edita. — H. —] Exstat etiam alia libelli editio, Norimb. 1531 et 1544. Lips. 1598. 4. (Bibl. acad. Gissens. et Thomas. T. II. p. 266.) — Denique nobis ad manus est alia hujus libelli editio, quae, cum de sudore anglico nihil habeat, cetera fere omnia (initium praefationis idem est, mutatis paullum verbis, rerum ordine alio) ex recensione operis a. 1521. a Keglero edito „Ein Regiment, darinnen sich vor der Erschrecklichen Kranckheyt der Pestilentz zu preserviren. Leipz. 1521. 8." sumta esse videtur. Inscribitur vero: „Nützlicher vnd wahrer Bericht wider die Pestilentz, vnnd wie man sich in Zeit dero erschrecklichen regierung preseruiern, be-

der Pestilentz herrschen vnd vberhandt nemen thut — —, daher dann auch weilandt mein lieber Vater seliger, Caspar Kegeler, der Elter, der Philosophy vnd Artzney Doctor, aus erheischender Christlicher liebe, seinem Beruff nach, E. Achtb. Hochw. zu sonder Ehren, so wol menniglichen zu hülff vnd trost, des verflossenen 1518. Vnd darnach widerumb im Tausent fünff Hundert vnd Neun vnd Zwenzigsten Jare, da zu Leipzig in meinem lieben Vaterlandt vnd vielen örten der Christenheit mehr, an obermelter Seuche, vnd der Schweisssucht, viel volks plötzlich vbereilet vnd gestorben — — kürtzlich ein Regiment verfast, vnd öffentlich durch den Druck an den tag gegeben, Welcher wie ich bericht, ob deren wol etliche Tausent gedruckt, doch nu mehr wenig, oder gar nicht zubekommen, — — Dieweil [2]) ich mich aus mancherley anzeigung, befahre vnd gedüncken las, das vns abermals ein hefftige Pestilentz nicht weit von der thür, vnd das die Schweisssucht (also pflegen sie die zu nennen) allein ein Indicium vnd Vorbote derselbigen, auch die Lufft alhie noch nicht inficirt oder vergifft sey, Dann wo die lufft mit zu vergifft were, so würde diese Schweisssucht (die in meinem vrteil nichts anders ist, dann ein hitzig Pestilentzisch Fieber, so sich inwendig ane eraugung einiges Bubon, Carbunckel, schwartze Blatter oder beulen suchet) gar viel hefftiger angreiffen, vnd viel schneller end geben, derselbigen auch one merckliche hülff der Ertzney, vnd wie itzt allein durch den schweis vnnd schlechte ertzney, nicht widerstanden mögen, so hab ich mich vmb E. A. W. vnd gemeiner Stadt willen hohes vnd niders stan-

---

wahren vnnd erhalten. Neben etlichen tröstlichen vnd vnder andern ausserlesenen mittelen, hülff vnnd Artzeneyen, so man alsdann zu gebrauchen, vnd mit Göttlicher gnaden zur voriger gesundtheit gerathen möge. Ingleichen wie man die wahre Terra sigillata zu gebrauchen habe. Durch Casparum Kegeler der hochgelobten Artzeney Doctoren vnd Phisicum. Gedruckt zu Cölln bey Wilhelm Lützenkirchen auf dem Thumbhof. Anno M. D. XCVII. 8. 2½ plag. [Bibl. acad. Jenens. — H. —] Legitur etiam in bibl. Guenz. p. 427. „C. Kegler's Regiment wider die Pestilentz und das Pestilentzfieber. Dresd. 1607. 4." et „Kurtzer Bericht, wie man bey gefährlichen Leufften sich zu verhalten habe ib. 1607. 4."

Fuit Keglerus natu Noricus (G. Matthiae, Conspect. hist. med. chronol. p. 165) professor medicinae Lipsiensis una cum Sim. Pistoris, Ge. Schiltelio, C. Lindemanno, Wenc. Bayero, Cubitensi, H. Stromero, Conr. Doeklero, Norico et Jo. Halesio (v. Ammann med. crit. p. 3. 5. 8.) — G. —

2) Ex epistola nuncupatoria patris, a. 1529 scripta.

des, in itzt empfangen erschrecken, forcht vnnd imagination zu trösten, auch nicht allein mit diesem Regiment, Sondern auch persönlich, beistandt, hülff vnd raht mit zutheilen vnterwunden, Vnd auch nicht allein in diesen beiden angezeigten fellen der Pestilentz vnd Schweissucht, Sondern auch in viel andern fellen, gifftigen vnd tödlichen kranckheiten mancherley ertzney vnnd Medelen anzuzeigen, welche ich aus viel erfarunge, weiter suchunge vnd persönlich practicirunge bewert, zusammen gebracht, vnd mit viel Newen vnd edelen experimenten gebessert. —

Die newe Vorrede.

Dieweil wir aber nu vor Augen sehen, das vns der Allmechtige Gott mitt mancherley jamer begint anzugreiffen — — vnd wie wir newe Geberde, newe Flüche, newe Kleidung vnd newe vnchristliche Glauben an vns nemen, ist zu besorgen, das vns Gott der Herr nicht allein diese Newe, vnnd in Deutschland vngewonliche Kranckheit der Schweissucht, sondern noch mehr erschrecklicher Kranckheiten zu schicken, vnnd darnach mit einer hefftigen Pestilentz auff künfftigen Sommer nachfolgen, vnd endtlich die Straffe, wie in Italia[3]) geschehen, mit Thewrung vnd Krieg beschliessen werde. —

Zum Ersten ist not einem jtzlichen menschen, der sicher wil sein vor aller tödtlicher gifft der Pestilentz vnd Pestilentzischen Fieber, als auch ist die Schweissucht, das gantze Jar vber, das er sich las purgieren, IX tage vber nach einander, mit den Pillen vnd Puluer von Reubarbaro vnd mit zu gebrauchen das Electuarium liberantis.—[4])

Das Electuarium liberantis, das zu diesem Puluer vnd Pillen gehört, lasse ich vnuerdeutscht, Denn es kein Leye machen kan, auch so viel Species nicht kennen mag, denn mehr denn XL stücke darein

---

3) Anno scilicet 1528, quo Neapolis a Francogallis obsidiata est. Conf. Schnurrer, Chron. d. Seuch. II. p. 73. seq. Plura de exercitus Francogallici morbis atque interitu egregie exposuit Heckerus (d. engl. Schw. p. 71. seq.) — H. —

4) Sequuntur harum pilularum atque pulveris formulae, quas vero omissas vix quisquam moleste feret. Electuarii vero formulam reservavimus, quia istud tunc temporis summi ab omnibus aestimabatur. Quid quod, referente Grunero, anonymus quidam (Leipziger Pestschade und Gottes Gnade. Altenb. 1681) dicat, alius electuarii camphorati ad pestilentiam a Kegelero inventi, formulam (continet vero haec Camphoram, Zingiber, Corallia, Perlas, Unicornu, Os de corde cervi et Theriacam) mille imperialium pretio fuisse venditam. — H. —

gehen, welches die Apotecker also sollen machen, wie folget, vnd nicht anders. Vnd heist darumb Electuarium liberantis, das es ein menschen ist preseruiren, vnnd auch erlösen von aller Gifft, welches man kan in viererley weise machen, Als in Zucker Küchlein, oder in tabulirten Zucker, in Latwerge, oder in Puluer.

Electuarium liberantis wird also gemacht.

est hoc hominum genus, in quos tamen sermonem in praesens, ne intenderem meum, studio arteque cavi, et tacite morbum illis imprecatus Herculanum subduxi me. Ut enim lucri plane nihil, ita id commodi, quod, irritatis extimulatisque crabronum nidis, alii expectant, reportavissemus. Verum intuta per loca illum, quem recens de Britannica pestilentia (quem in binas secuimus partes, quarum altera praeservationi, potissima medicinae parte, altera autem repullulantis morbi, quive nos deserere non desinit, quin radices perinde agat, curationi attinet) a nobis conscriptum commentariolum iturum agnosceremus, et ut naso ceteros suspenderemus adunco, supereligendo, qui horis hisce praeesset, patrono diu cogitavimus. Quumque tua mihi protinus ubique non satis prædicata celsitudo occurrisset, benevolentiaque illa in me singularis, animi denique tui vera nobilitas, sinceritas, candor et generositas allexissent, persuasissentque pro more patrio et veteri illa consuetudine (quoniam te Basileam rediturum a D. Petro Luca, Regi clementiss. a thesauris, acerrimi iudicii, et multarum rerum cognitione viro, acceperamus, xeniolo hoccine exiguo, quod pro ingenii et fortunae meae tenuitate jam damus dedicamusque, exceptum te iri voluimus. Arbitrabar enim tanto me cum domino et heroi, ac quod maximum est, studiosorum omnium Mecaenati, quem christianiss. Gallorum rex ob summam prudentiam dexteritatemque ineffabilem, ut illi a consiliis esset, selegit, amicitiae sic facilius sineque negotio capturum initia, eademque perpetua et multum duratura in aevum. Diis enim ipsis, si haec efficere possent, annon essem felicior? Quis, quaeso, fortunatior? Quum nonnihil sit tanto complacuisse viro. Proinde restat, nec in te quid aliud desidero, quam quod pia fronte, animo in tam parva non abiecto, quicquid est, quod damus, suscipias. Sic enim, ut in cupressinis tabulis, nomen sim observaturus tuum, efficies, deinde vero, deo optimo maximo annuente, nos ad meliora stomachoque magis deservitura tuo invitabis et protrahes. Superest, quod valeas, et ut Hesiodiam senectam adimpleas, utque multorum te nobis dierum senem deus opt. max. efficiat, precamur. Vale denuo. Basileae pridie calend. Junii, anno salutis nostrae M. D. XXXI.

Index capitum commentarioli primi Joachimi Schilleri.

De Britannici sudoris definitione, ... Caput I.
De causa morbi, ... — II.
Quos ambiat laedatque, ... — III.
Abscessus cur non ostendat, ... — IIII.
De praecautione per aerem, ... — V.
De cibo, ... — VI.
De potu, ... — VII.
De motu et quiete paucula, ... — VIII.
Sub eodem capite de frictione, de balneo et de venere.
De somno et vigilia, ... — VIIII.
De animi affectibus seu pathematis, ... — X.
De inanitione et repletione, ... — XI.
Sub isto capite de alvi officio, sanguinis missione ac reliquorum humorum purgatione,
De simplicibus praeservantibus, ... — XII.
De medicamentis compositis praeservantibus, . . . — XIII.

Secundum commentariolum quod est de curatione, haec obtinet capita:

De signis, ... Caput I.
De curatione, ... — II.
Quomodo cibandi sunt, ... — III.
De potu, ... — IIII.
De somno, ... — V.
De alvi officio, ... — VI.
De sudoris tarditate, ... — VII.
De virium corporis aliquot confortativis et restaurativis, ... — VIII.

JOACHIMI SCHILLERI Herderensis Physici Pestis Britannicae Commentarioli.

SEGMENTUM PRIMUM.

De Britannicae sudoris definitione

CAPUT PRIMUM.

Tradita est hactenus non tam a nostri aevi medicis, quam vetustis illis pestilentis febris definitio naturaque, perpulchre tamen in primis (ut mihi videtur) a Platonico illo, Marsilio [3]) ex Galeni, facile medicorum principis, sententia, qui pestem inquit esse cum aereo corpore draconem, Hippocrates vero [4]) eam commune genus febrium appellavit. Atque iterum hujus interpres, Galenus [5]) pestem esse docet in omnes vel certe quam plurimos saevientem morbum. Sunt etiam reliquorum illustrium medicorum haud inelegantes super hoc morbo definitiones, quas in praesenti memorare supervacuum censui. Ego meam hanc superioribus adjiciens toto, quod dicitur caelo vix me erraturum putavi, si luem illam spiritus, quem nolentes volentes subinde trahimus, morbum dixerim, et ex contactu febrem, non ardentem quidem, si ceteris aequipares, sed lentam blandamque, cujusmodi pestilentialium nonnullae deprehenduntur, e quarum forma illa quoque (mea quidem sententia) consistit, sudorem, de quo in praesens agimus, asseclam comitemve habens, qui non tam huic, ut Galenus [6]) testatur, quam reliquis febribus omnibus communis esse assuevit. Quapropter non morbus, si rem rimeris, ad unguem censendus est ex liquido resolutus ille halitus, sed, ut jam diximus, pestilentis ardoris symptoma. Oritur [7]) autem sudoris defluxio proritatioque a potente primum et valida natura in subjectam sibi materiam, perinde ut in hostem, vires suas tentante, judicationis viam per occultos humanae compaginis meatus inveniente (habitu resoluto ac in tenuius deductis humoribus ex principibus visceribus, corde scilicet et hepate, superfluam abjiciente humiditatem adque corporis universi superficiem reponente sed optimo

---

3) Tractat singul. doctissimi viri, Marsilii Ficini, de epidimia morbo ex ital. in latin. versus. Aug. Vindel. 1518. c. 1. — G. —

4) De spiritalib. — Schill. — (T. I p. 401. §. 4. ed. Lind. — G. —)

5) Definit. med. — Sch. — (T. I. p. 178. c. 102. — G. —)

6) De crisib. III. 3. — Sch. — (T. IV. p. 536. — G. —)

7) Qui fiat sudor ostendit Hippocrates libro de flatibus. — Sch. —

id dei opt. max. et naturae consilio factum esse (quando hoccine decretorio subitam praecavere mortem) neminem tam rudem, qui non intelligat, existimarim. Ceterum ut cum Hippocrate [8]) dicamus, asseremus, *τοὺς μὲν ἱδρωτας ἀρίστους εἶναι, ἐν πᾶσι τοῖς ὀξέσι νουσήμασιν. ὁκόσοι ἂν ἡμέρησί τε κρισήμησι γίνονται, καὶ τελείως τὸν πυρετὸν ἀπαλλάττουσιν, ἀγαθοὶ δὲ, ὁκόσοι διὰ παντὸς τοῦ σώματος γινόμενοι ἀπέδειξαι τὸν ἄνθρωπον εὐπετέστερον φέροντα τὸ νούσημα. οἱ δ' ἂν μὴ τοιοῦτον τι ἐργάσωνται, οὗ λυσιτελέες* etc. [9]) hoc est, si latine reddas, ‚omnium acutarum aegritudinum saluberrimos esse sudores, qui diebus judicatoriis oriuntur et emergunt, ad unguemque febre laborantem asserunt atque vindicant, inculpati vero censentur etiam illi, quotquot sese per universam semel corporis molem exerunt: Nam hominem aegrum levius tolerare morbum insinuant. Qui vero nihil horum efficere queunt, ne tantillum quidem commoditatis afferunt.

De caussa morbi.
Caput II.

Sed ad caussarum fontiumque illius pestis inventionem ut sermonem nostrum deflectamus, jam commodum esse videtur. Hippocratis [10]) medici mentem, si bonus, acer et dexter est, caussam, ex qua corpori omnia mala scaturiunt, et inquirere, et concipere tradidit, siquidem, eodem teste [11]), si quis eas probe cognoscat, perspectasque habeat, potens est ea adferre, quae corpori accommodent praesidia, quemadmodum e contra letalia saepe pro salutiferis pocula, si alio tramite, qui absolutam investigandarum caussarum methodum non tradit, incedat aut certe declinet. Clamavit Galenus [12]) plus semel in omni causarum genere diligenter advertere, ex qua maxime potentia aegrotare contingat, hanc autem, cum fere nemo hodie feliciter advertat, accidit, ut hallucinatio sit ineffabilis, error vero maximus, potissimum vero circa detestandos illos passim empiricos, Thessalosque. Sed longius haec, quam volebamus, quapropter *ἐρημαζόπενοι*, unde digressi sumus, revertamur.

---

8) Lib. praedict. I. 29. — Sch. — (T. I. p. 451. §. 5. — G. —)
9) Lib. de morb. decretor. — Sch. —
10) Lib. de glandul. — Sch. — (T. I. p. 414. §. — G. —)
11) Lib. de flatib. — Sch. — (T. I. p. 400. §. 2. — G. —)
12) De differ. febr. Lib. I. — Sch. — (T. III. p. 116, 3. — G. —)

Habet autem principes causas quinque pestis haec. Unam maximam, quae piis precibus et jejunio auferri potest, deo opt. max. caeli super nos inclementiam accidere jubente, quod etiam Zoar [13]), qui primum mihi venit in buccam, testatur. Avicenna vero, optimus senex, attende, inquit, omnium istorum eventuum dispositionem, et crede, quod de divinis dicitur flagellis, quae descendunt super flagitiosorum peccata etc. Alexander Benedictus [14]) Veronensis, medicus illustris, non sine natura et majestatis divinae injuria morbos accidere censet, sed et ethnici suis diis multa tribuere. Plato [15]) furoris geminas depingens causas unum fieri mentis ipsius intentione ex corporis causa et origine, alterum divinum sive immissum eiusque Apollinem inspiratorem esse. Hippocrates [16]) monuit hisce verbis, *ἅμα δὲ καὶ εἴ τι θεῖον ἔνεστιν ἐν τῇσι νόυσοισιν, καὶ τοῦτο τὴν πρόνοιαν ἐκμανθάνειν*, hoc est, pariterque et si quid divini morbis inest, hujus quoque providentiam tenere. Aliorum quin imo plures admodum sunt, qui divinae providentiae in progignendis morbis non parum tribuant. Miror igitur, quae Pallas hoc illi miserit in mentem, qui nuper in sua hidropyretologia in haec verba inquit. Sed quamvis vera, quae de morbi causis protulimus, paucos tamen nobis credituros praescimus, cum plerumque et docti, et indocti tanta sint superstitione concitati, ut hunc morbum divina ultione propter scelera nostra ab alto in terram demissum arbitrentur, quod tamen, si recte credimus, longe erroneum est. At, quantum a scopo aberrarit, liquido constat iis, qui non tam gentilium, quam sacrorum illustrium patrum libros evolverunt. An enim non aperte scriptura nobis aperuit, miris olim flagellis deum opt. max. rebelles punivisse? Hezechiel [17]) propheta, ira mea super universum populum, gladius foris, pestis et fames intrinsecus etc. Moses [18]), adjungat tibi dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam etc. Argumenta vero, quibus ille sua dicta corroborata putarat, tantum ad rem fecere, quantum ingentis Cyclopis calceus tenello infanti.

Sideribus, quin etiam et stellis, quas planetas vocant, mira

---

13) Metaphysic. lib. IX. — Sch. —
14) Anat. lib. II. cap. 26. — Sch. —
15) In Phaedro. — Sch. —
16) Praedict. lib. I. a principio. — Sch. —
17) Cap. VII. — Sch. —
18) Deuteron. XXVIII. — Sch. —

cum mortalibus convenientia est, ea propter immutandorum corporum maximam vim obtinent. Inter illas tres sunt futurorum morborum nuncii et praecones, Saturnus, Mars et Mercurius, super quibus quoniam nunc narrandi locus non est, supersedeo, adque alia hinc transeundum censeo.

Sed ei, quae praecedenti anno fuit, temporum mutationi nihil non dandum. Hanc enim morbos potissimum facere Hippocrates [19]) testis, fitque semper perpetuumque est, si temperaturam suam non ordinatim recipiant, et cum praepostera, non temperata constantiaque sunt, ut morbi et prorumpant, anteque tempus decernant ac remaneant.

Nec parum tribuo victus eo tempore rationi, siquidem manifeste deprehendimus omnes fructus, ceteraque singula, quae ob hominem creata sunt, ut iis probe uteretur, male concoxisse Phoebum, semicrudaque mansa fuisse. Iuvit etiam auxitque malum frequens multaque crapula, et in potationibus otiosa vita nostra, quae quantum corpori auxilii tribuere possunt, apud se quisque cogitet et rimetur.

Atqui ad ambientis nos perpetuo aeris corruptionem causam referre postremam, quis vetat? Ego potissimam hanc esse duxi, avium argumento ductus, quae sub arboribus peste correptae inveniebantur passim, abscessibus sub ascellis [20]) cicerum instar non carentes. Siquidem et alibi Galenus [21]) hanc potissimam omnis pestis causam esse recenset, quae aliquid in corpore generat, quamvis ipsa sit corporis expers. Ipsissimus item Hippocrates [22]) inspirationi pestilentis constitutionis tempore haud exiguam tribuit causam, quoniam mortalibus haec cum vitae, tum morborum causa deprehenditur. Attrahentes itaque morbosis infectum inquinamentis aerem necessario laedimur: In suam enim naturam illico nos et rapit, et trahit, quo fit, ut talis noster, si Galeno [23]) credimus, fiat spiritus, qualem nos haurimus aera. Laedit vero talis vitales primo cor-

---

19) Aphor. II. 1. — Lib. de humor. — Sch. — (p. 322 §. 6. — G. —) de aere, aqua etc. — Sch. — (T. I. p. 327. §. 1. — G. —)

20) Incertum profecto pestis augurium! Tales enim pustulae, ut inter omnes constat, in columbis fere oriuntur, si quando vescantur brassicae napi seminibus. — G. —

21) Defin. med. — Sch. — (T. I. p. 178. c. 10. — G. —)

22) Lib. de spiritib. — Sch. — (T. I. p. 403. §. 6. — G. —)

23) De crisib. lib. II. c. 3. — Sch. — (T. IV. p. 116. — G. —)

dis spiritus, mox et humores ipsos perturbat, quibus in ebulitionem actis, conscendunt inque tumorem attollunt, quem febrem esse liquido constat. Rhazes [24]) inquit pestem fieri perputrescente sanguine effervescenteque ad efflandum rapidam redundantiam, sed abscessibus haec magna ex parte, quemadmodum nostrae febris redundantia, vapore terminatur finitque, quamquam non semper omnes vomicas bubonesve ostendant. Plerique enim pestilenti febre correpti praeter papulas ac maculas (veluti morbilli sunt) per corporis partes disseminatas non aliud fere ostendunt signum.

Quos ambiat laedatque.
Caput III.

Vidimus frequentius hoc morbo oppressos corpore candidos, robustos, pastu dulci usos, galactopotas, et ut summatim dicam, sanguineos, eosque, qui antea febribus rapiebantur continuis, crapulosos item, et quorum vitiosos vasa continebant humores, ventriculosos, crudis se liquidisque, quam corpora ferre possint, subinde infarcientes cibis, copiae huic nullum adjicientes laborem. Senibus solis quandoque pepercit pia; Hos enim (quoniam improbis, et in putrefactionem proclivibus succis destituuntur) arripi minus Plinius [25]) autor, praeternavigavit etiam magna ex parte atrabilarios et emaciatos corpore, quoniam et horum corpora putris succi expertia erant.

Abscessus cur non ostendat.
Caput IV.

Binae sunt huius rei causae, excrementi scilicet tenuitas et corporis ipsius raritas. Ambo enim haec ut profusius et proritentur, et effluant sudores, efficiunt, nihil intus relinquente natura, quod in collectionem emergere possit, quapropter nec abscessus, nec vomicae expectandae. Sudore enim evanescunt, quae loco alias insedissent altius, ubi maior excrementi adfuisset crassities. Quibus autem non affatim promanant, his recidivae superveniunt, detenta adhuc profundius in corporis latibulis materia. Sed haec eorum, quae iam dicturi sumus, veluti praeludia quaedam sunt.

---

24) Lib. de pestil. — Sch. — (S. de variol. c. I. p. 10. ed. Gott. — G. —)
25) Histor. natur. Lib. II. c. 98. — Sch. —

De praecautione.
Caput V.
De aere.

Ubi malis inquinamentis, quae humanae naturae hostilia sunt, refertum videmus aera, illud inprimis et agendum, et curandum est, ut, rupta mora, quam primum ad fugam nos accingamus in magis tutum salubrioremque locum, non redeuntes, donec pestis felici sidere fugata in Cymerias procul abierit tenebras. Quodsi eodem te in loco, statu hoc caeli pessimo, permanere oportet, fac, ut te in placitas illico recipias aulas, situ quidem (nisi pestis desuper, nam tum abyssi petendi sunt, veniat) ob permeantem phoebum altas, et quae ab aeris tabe absint procul, clausas etiam, caelo nubilo et turbulento existente, instantibns cum hoc pluviis, hudis inserenisque diebus, ne transeuntem recipiant hostem. Ad rutilantis tantum solis ardorem apertam habeto palaestram, sed magis ad eam caeli plagum, quae septentrioni attinet, flante borea. Is enim cum natura frigidus et siccus sit, omnia quam diutissime, Galeno [26]) teste, imputria servare, corporis superfluitates, quae pestis hujus fomenta sunt, consumere, roburque instrumentis adstringendo et in unum cogendo substantiam adjicere potis est. Verum quid Galenum in testimonium vocamus? Annon M. Varro, cum Corcyrae esset exercitus ac classis, et omnes domus repletae essent aegrotis, ac funeribus, immisso fenestris novis aquilone, et obstructis pestilentibus, januaque permutata, ceteraque ejus generis diligentiae suos comites ac familiam incolumes reduxit? Morbosos contra et pessimos meridionales et austrinos judicato, foetidas item cloacam, fimum, stagnum spirantes. Jejunum aedes exire, quoniam tutum non est, neutiquam consulerem, nisi serenum te invitet caelum, antidotis, quae deinde dicemus, praemunitus, pransum, lari relicto, dio se credere praestat, habitatio tua die noctuque thymiamata quaeque suavissima redoleat, temperata omni tempore, hieme calidiora, frigidiora aestate: Odorata enim putrefactionem prohibent, nostri corporis spiritus oblectant et pravorum humorum intemperiem salubrem in statum revocant, tempore vero frigido, aere hudo, optimum est perpetuum focum ex odoris lignis, pinu, abiete, palma, Elate a Dioscoride [27]) vocata, quercu, junipero, etc. carie vitioque carentibus

26) De tempor. c. 1. — Sch. — (T. III. p. 342. — G. —)

27) Lib. XI, c. 131. — Sch. (De mat. med. IV. 151, p. 59. a. ed. Pan. 1549. — G. —)

fovere: Harum enim crebritate tabido aeri antiquitus occursum fuisse video. Agron [28]) medicus, Athenas magna pestilentiae vi saevius infestante, affectorum plerisque salutarem intulit opem, accensis in proximo ignibus, eadem fecisse Hippocratem, nisi me fallat opinio, apud Galenum [29]) legi. Sed quis haesitat assiduum ignem aeris malitiam, frigus, venenosam substantiam et improbitatem omnem exuere et abjicere non posse. Verum diluculo id facere, surgente phoebo, convenit, et vesperi quoque, quando nocturna densescere humectatione aer incipit, te autem illi et assidere, et astare decet, cavens interim, ne ab igne ad frigus corpus repente promittas. Saepius enim apertis poris blandum subrepsit venenum.

At inter arbores hoc tempore commendatas non ignobilis habetur juniperus, et hujus baccae, lignum inciditur, conteruntur baccae, utraque carbonibus superinjiciuntur, tamarix, arbor exigua, μυρίκη a Graecis vocata, incisa et suffita, commendatissima ebenus iucundo odore supra carbones sine fumi taedio suffitur, quae etiam recens ad ignem prolata ob pinguedinem accenditur. Laurus item, cujus folia, si urantur, pestilentiae contagia prohibere Plinius [30]) testatur. Audio Commodi imperatoris medicos (ut Herodianus autor est), πρὸς τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν ἀντέχειν λελεχέναι εὐωδιάν τε τῆς τῶν δαφνῶν ἀποφορᾶς καὶ τὰς τῶν δένδρων, ἡδειάς σκίας, quod est, noxiis aeris inquinamentis peramoeni odoris laurorum suffitu et ipsarum suavitate umbrarum resistendum affirmasse. Sed, ut fraxinum, quae cariem et putredinem nescit, reliquas antecellere credam, persuasit Plinius. Is se expertum inquit matutinas occidentesque umbras ejus, quamvis sint longissimae, nullum serpentem attingere, quod si fronde ea gyro claudatur ignis et serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere serpentem. Commendantur etiam reliqua bonitate et odoris fragrantia praecellentia ligna sicca, acapna et causima [31]). Quaedam enim ob aquosum pingue non accenduntur, nec flammam recipiunt, qua propter gravius olere videntur ex locis item nondum infectis advecta, prohibentur putrida et vetustate erosa, tetrique odoris. Inter pretiosa est lignum aloes, quod est maculatum, odoratum, gustu astringens cum quadam amaritudine. Hoc non, nisi

---

28) Paull. de re med. II, 35, p. 84 ed. Basil. — Sed leg. Acron. — G. —

29) De composit. Theriac. — Sch. — (T. V, p. 367 c. 28. — G. —)

30) Lib. XXIII, cap. 8. histor. nat. — Sch. — (Lib. I. p. 32. ed. Casaub. 1611. — G. —)

31) i. e. sine fumo ardentia. — G. —

in principum aulis minuta in frusta incisum optime suffitur. Ex arborum lachrymis comburendis styraci, quem calamitin vocant, et therebinthinae prima ab autoribus data est palma, commendavit prae ceteris terebinthinam Averrois [32]), deinceps est thus masculum, candidum, in suffitu statim ardens, myrrha, quae amara, acris, odorata, ladanum odoratum, pingue, sentiscina resina quoque, quae mastyche. Ex vulgaribus sunt pini, abietis, laricis et aliarum odoriferarum arborum resinae, ex corticibus suffumigandis est cinnamomum, casia aromatica, quam ligneam vocant, cortex item thuris, et odoratae nucis folliculus, μάκηρ [33]) et citrei mali putamina, quae odoris gratia ac suavitate non olfactu tantum, sed et gustu commendantur. Hujus odorem Avicenna [34]) rectificare corruptionem aeris et pestilentiam tradidit. Sunt etiam ex radicibus aliquae, quae accensae inclementis aeris naturam prosternunt, ut enulae campanae, acori, iridis, haec optima, quae tum tunditur, sternutamenta movet, costi, galangae, zedoariae, asari, gingiberis, junci odorati, calami odorati, quem Hippocrates myrepsicon i. e. unguentarium, Plutarchus arabicum appellat. Sequentes herbas, dum virides sunt, manu geres, siccas super carbones accendas, sunt autem sansuchum, lavendula, libanotis, ozimum, quod basilicon dicitur, salvia, mentha citraria, origanum, pulegium etc. e reliquis crocum, caryophylli, moschus, ambra, mel, odorata nux, odorata olea etc. Possunt etiam commixtis praedictis formulae ad suffumigia fieri. ℞. Agallochi, croci, cinnamomi, caryophyllorum, sandalorum luteorum, rosarum purpurearum ana ʒβ. mastiches, styracis, thuris masculi, iridis ana ʒj. ladani ʒjjj. moschi gr. v cum nardino oleo fiant trochisci parvi drachmae unius pondere. Ex illis saepe (quoniam accepta beneficia diu non retinet aer) suffumigia facere necesse est, pro vice vero sufficit pastillus unus contritus et vivis prunis insertus. Pastillos item de ligno aloes, de cyperis, et galliam illam moschatam, aliptam moschatam descript. Mes. ceteraque eius ordinis thymiamata non vitupero. Delectant enim contabescentes spiritus, viresque deinde et vegetas, et firmas reddunt. Nec placet superioribus pure et simpliciter uti, quoniam aliqua ex iis, quum calida multum sint, frigidiorum interdum admixtionem ad contemperandas naturas affectant.

---

32) Colliget VI. — Sch. — (17. p. 117. b. ed. Venet. 1560. — G. —)
33) Galen. de aliment. II. — Sch. (T. I. p. 68, 16. — G. —)
34) Can. II. — Sch. — (Tract. e. c. 118. p. 202. ed. Bas. — G. —)

Malum sequens nudum manu geratur, quod habet ladani, benzoi ana ℥jjj agallochi, cinnamomi ana scrup. jjjj. caryophyllorum, nucis odoratae, maceros, ana scrup. jjβ. thuris, ozimi drachm. β. sandalorum luteorum, rosarum purp. ana drachm. j. croci scrup. j. melissophylli scrup. jj. styracis calam. drachm. jjj. terantur subtilissime, et cum infusione dragachantae in aqua rosata moschata q. s. et parum styracis liquidae, fiat pomum, et aromatisa cum gr. vj. moschi, et duobus ambrae, vel, si placet, pro religiosis fiat zona oraria. Citrei etiam mali odor inculpatus est. Quidam manus faciem summo mane ex aqua sequente lavant. Habet caryophyllorum contusorum grosse unc. β. aquae melissophylli unc. vjjj. aceti rosacei unc. jjjj. Ego hanc multum laudo, quoniam et mirifice juvat, sed quibus clypeis tempore frigido aeris improbitatem arcere possimus, jam breviter diximus.

Quodsi sub aestu et syrii stellae ardore ingruat perniciosum malum, contrario excessu obviam ire oportet, ut jam docebimus. Atqui supervacuum esse in ipso temporis aestu accendere ignem ex Thucydide [35]) discemus. Inquit enim in haec verba, *ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νοσήσαντας οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτὸν νεκρὸν, ὑφήπτον, οἱ δὲ κατομένου ἄλλου ἄνωδεν ἐπιβάλλοντες, ὃν φέροιεν, ἀπήεσαν. πρῶτόν τε ἦρξε καὶ ἐρ' ἄλλα τῇ πόλει ἐπιπλέον ἀνομοίας τὸ νόσημα*, quod est, ut nos ex tempore utcunque vertimus, ubi morbo correpti aliorum pyras occupassent, alii quidem mortuum suum imponebant, ignemque subjiciebant, alii vero, alio ardente, superjecto quem gestabant, discedebant, primumque coepit in urbe malum multo iniquius grassari. Nec mirum. Caloris enim intemperiem sic et auget, et tabidi aeris malitiam in corpus deducit, verum subjectis quandoque prunis, ea ad demulcendos refrigerandosque spiritus, quae odorem alias non praebent, spirantque difficilius, cremare suaserim. Utile est pomorum et pyrorum nostratium, mali item punici et cotonii accensum putamen, ex lignis Sandali lutei et rubei, myrtus, berberis etc. citrei mali et coriandri praeparati, atque acidi lapatii semen, flores item domesticae rosae et silvestris, violarum purpurearum, nympheae. Solo consternanda sunt folĭa atque rami salicis, vitium, et harum capreoli, quos pompinos vocamus, graece vero helicas, et ceterarum odoriferarum arborum frigidiuscularumque herbarum folia, odoranda sunt frequentissime mala

35) De bello pelop. II. — Sch. — (c. 52. — G. —)

suavissima, et quae, cum comeduntur, subacida sunt, ut cotonea et pira, granata ceteraque id genus. Pastilli frigidi. ℞. Sandalorum luteorum et alborum, rosarum purpur. putaminum citrii mali ana dragm. jj. agallochi, cinnamomi electissimi ana scrup. jj. mastiches dragm. β. camphorae gr. vj. ambrae iu sylvestris rosae liquore resoluta gr. jjjj. infusionis dragachantae vel gummi arabici in aqua rosata moschata, donec satis, misce, et fiant trochisci parvi, et triti carbonibus inserantur. Facient huc pastilli de gallia alefangina descript. Mesues, faciem autem et manus ex rosaceo jure, quod aceti rosacei et ambrae parum habeat, saepe ablue et immerge. Veteres oenanthino oleo (Herodiano [36]) et Paullo testibus) nares linebant, et mensas eo spargebant. Judicabatur enim contra pestilentiam valere. Vestes quoque mundae esse debent rosam olentes et acetum, sintque, ut uno dicamus verbo, omnia pura et ornata, tu autem felix.

De cibo.
Caput VI.

Sed ex eduliis, quae magis conveniant, et in quibus cautio existat, jam breviter dicemus. Cibus omnis boni succi esto, digestionis facilis, ex odorato subacescens, bene coctus, pingue non habens, assatus magis, quam elixus, venerem non stimulans, et, ut Avicenna [37]) ait, paucae quantitatis, actu frigidus, potione copiosior, et quem fames expectet, adde, ne et ille citra saturitatem sumatur.

De carnibus [38]).

Ex volatilibus laudantur montanae aviculae, et quae in campis pratisve, ac in uvis per vites degunt, extra paludes stagnaque, et quae mediae materiae sunt, ut galli, gallinae, pulli matrem sequentes, caupones cortinis non inclusae et saginatae, phasiani, perdices, attagenae, sturni, merulae, turdi et gregales columbae. Harum juscula, adiecto ovi vitello, et aceti parum sorbere salubriter potes, nec improbo, si cum auri fragmentis decoquas, adjecta agresta, acido lapathio, uvis praematuris acerbescentibus, vitium capreolis aut mali

---

36) Herodian Histor. lib. — Sch. — (p. 32. — G. —)

37) Prim. 31. tract. ult. cap. 4. — Sch. — (Can. I. Fen. 1. Doctr. 2. c. 7. p. 115. — G. —)

38) In margine leg. de avibus. — G. —

acidi granis, haec enim omnia in tutelam addunt. Poteris et acidis cerasis, Thebanicis palmulis omphaciaque uva carnes opplere, et veru vertere, acido liquore tostas madefaciens partes, ne ignis vehementia exassentur, atque saporem, quem imbibere, felicius retineant. Si autem ventriculi debilitatem, pectoris stricturam, quam ἄσθμα vocant, nervorumque convulsionem verearis, acida saccharo, suavibus amygdalis, passulis, cinnamomo, suavium granatorum succo, quaeque his similia sunt, contemperato. Congelata et contusa rosaceo aceto confecta malum non habent, anseris ascella sine querela est, partes reliquae malae, cerebrum gallinaceum, si modice cum cinanmomo contemperes, admittitur, nec vituperatur hepar, hoedorum vero et lactentium vitulorum carnes, quaeque his affines sunt, cum acido semper decoquere operae pretium, agninam carnem, quoniam muscosa, glutinosa et pituitosa est, Galeno teste, abjiciendam censui. Nec suilla et vetusti porci, quaeve ex deposito venit, hoc est, longo tempore sale macerata, admittenda, hircina tum ad succi concoctionem omnium ineptissima est, mox arietina, deinde taurina, viscera omnia mala.

De sumtis ab animalibus.

Lac improbum est et nocens, verum galactopotis pro consuetudine aliquando acidum, extracto butyro, offertur, nec bonus habetur caseus. Laborem enim doloremve, ut Hippocrates [39]) inquit, angustiam et flatum inducit, cibos reliquos superaccendit, cruditatem parit, et concoctioni resistit. Sed, si quis pro more illis uti velit, concedimus caprinos, tanquam omnium saluberrimos, et qui pro sale cinnamomum habent, recens factos et salis multi expertes. Quis non, nisi tremulis in aquam calidam conjectis utere, cinnamomo condiens, panem arantiorum succo aut quovis alio acido praetingens, assa autem et ad duriciem cocta pessima censentur, sint igitur gallinarum et recens nata.

De leguminibus.

Inter cerealia semina primas laudes antiquitus habuit hordeum, siquidem lenis erat eius viscositas, continua, lubrica, jucunda, modice laxa, sitim arcens, ablutioni (si opus erat) peridonea, adstrictionis expers, in ventre non exturgescens etc. verum cum amiserit hodie praecipuas Hippocratis laudes (quippe ex eo parata pti-

39) Lib. IV. de vict. rat. in morb. acut. — Sch. — (T. II. p. 316, 359. — G. —)

sana insuavis, injucunda, et si satis coquas, masticatione egens, non lubrica, et quae flatum non abjicit), suspectum me facit, an in salubrium leguminum locum reponam, necne. Verum quanto illud bonitati accedit pristinae, tanto in omnem vitae usum utilius judicato. Avenata, si rosaceum acetum redoleant, optima censemus. Hanc enim omnibus leguminibus digestibiliorem ponit Oribasius [40]). Lentes quoniam flatum concitant, ventremque sistunt, fabas item (nam et has, utcunque praepares, flatulentum spiritum nunquam exuunt) non admittimus, at cum lentium pulmentum, prima decoctionis aqua abjecta, cortice detracto, aceto conditum, ab omnibus probari videam, nescio, quid mihi hic persuadeam; difficulter enim praepares coquasque has, utut velis, concitandi flatus naturam exuere posse credo, constat temporis protractu harum usum frequentiamque crassissimi corpori ingerere succum. Istuc recensetur panis, qui saluberrimi grani esse debet, optime fermentatus (Azymus enim et qui levatus non est, κακόχυμος existit). Curandum quin imo, ne vitiosis lignis coquatur (malitiae enim addunt), salis modicum habeat, sitque unius diei, non calidus. Leniores sunt de hordeo, secundo loco, qui de tritico fiunt. Quos autem annonae penuria premit urgetque, illis similaceum et ex spelta avenaque confectus panis non obest.

De piscibus.

Optimi habentur saxatiles, recens in flumine limpido saxoso venati. Tales sunt scarus, merula, turdus, julia, ficedula, perca: habent enim carnem concoctu facilem, et hominum corporibus saluberrimam, verum odoro in vino, ut humidum exuant, decoquito hos, adjicito cum aliis speciebus acetum rosaceum et punici acidi grana. Pestilentissimi sunt molles, et qui, cum tangas, lentorem glutinosumque quiddam relinquunt, ut anguilla, umbrae etc. Sed et illi, qui in fluviorum ostiis et stagnantibus aquis capiuntur, quando in eas latrinarum, aut culinarum, aut balneorum, aut vestium ac linteorum sordes corrivantur. Vituperamus sale servatos, quotquot sunt, letinae recentes Dioscoridi [41]) probantur. Inquit enim alvo utiles esse, sed maxime ius earum. Assatio quin etiam improbis piscibus malum aufert, praesertim si incisa corpora salvia repleas, et inter prunas liquido commixto (quod ex salviae palmulis, aromatibus ca-

40) De confect. cibor. — Sch. — (Collect. I. 14. p. 12. ed. Ald. — G. —)
41) Lib. II. c. 8. — Sch. —

lidis, optimo aceto constat) madefacias frequentius. Commixtum quo nos utimur, ℞. Cinnamomi electiss. unc. j. gingiberis albi dragm. jjjj. coriandri praeparati, ros. rubr. ana dragm. β. nucistae, zedoariae, caryophyllorum odorati calami maceros galangae ana scrupul. jj. cardamomi, trium piperum ana scrup. j., croci, ligni aloes electi ana scrup. XV. Misce singulis singula, et in crassum pulverem tundito, saccharum pro libito adjicito, ne nimium tamen.

De fructibus.

Mala reposita, et quae moderate acida vel sub ardentiore sole matura decerpta sunt, malum habere non censeo, praesertim si cum cinnamomi pulvere aut melissophylli foliis aliquot (ad exuendam flatutentiam, quam tum magna ex parte amiserunt) diligentius fuerint cocta, vel frustatim incisa, demto putamine, et odoro mansa ex vino. Cotonea et pira recenti mulso coquantur, torrida saccharo aspergantur. Cerasia acetosa una cum nucleo modice mansa parum obesse credo, sicut nec granata acetosa et citria mala ac limones, Myrobalana, quam Chebulam dicunt, pruna et persica sicca, amaras amygdalas saccharo obductas, lotum capparim et aceto conditum, uvas siccas, austeras fabriles et pensiles, abjectis internis brisulcis, ficus maturas et carycas, quas cum hyssopo, pulegio, origano nucibusve, adjecto acido, et ante reliquum cibum mandere debemus. Infensissimi sunt fructus immaturi, et quae humorem nocivum non deposuerunt, suavia cerasia et melimela i. e. mustea mala, pruna et persica recentia, uvae, mora, pingues dactyli, suaves pepones, cucumeres, et qua hisce agnata sunt: nam sine periculo non sumuntur. Quod si pro more sumendos contendas, alias aliud modice attingere, et inprimis mensis propinare decet, siquidem celeriter pertranseunt, aliisque commode praecunt, in secundis sumti mensis una secum et alia in corruptionem trahunt. Ceterum, ut uno dicamus verbo, ab omnibus pravi et aquosi succi eduliis stomachoque adversis, quantumvis probe a nonnullis conficiantur, abstinere in totum consulerim [42]). Clam enim sensimque longa dierum serie pravus in venis succus ex ipsis suggeritur, atque accumulatur, qui, vel levicula putredinis arrepta occasione, febres saevissimas et mire contumaces excitabit.

---

42) Galen. alim. Lib. II. de Cuc. — Sch. — (T. II. 3. p. 58. — G. —)

De herbis et oleribus.

Lactuca, spinachia, lapathum acidum, trifolium acidum, domesticum et sylvestre intybum (hoc cicorium, illud endiviam vocant), borago calidioribus temperaturis optime faciunt. Permiscemus hisce aliquando mentham, basiliconem, hyssopum, scabiosam, sansucum, melissophyllon, betonicum, rorem marinum, vincetoxicum, superaddimus etiam cinnamomi pulverem. Cucurbitae vero usum, quam κολοκύνθαν Graeci dicunt, unus omnium Chrysippus[43]) in cibis damnavit, aridis autem et ex aestuantibus complexionibus a Rhaze admittitur, verum si cum voluptate[44]) capere, et nauseam evitare cupis, ob aqueam qualitatem sibi innatam origano junge. Salictarii lupi cichoriique primae palmulae atque thyrsi, superinfuso omphacio et rosaceo aceto, manducantur, immersionibus sinapi, nescio, an quid aliud periculosum magis, acidorum cerasorum sylvestrisque rosae densatum succum, quem Robub Arabes vocant, si odoro cum vino aut acido quodam diluas, utilissimum censeto: Non enim salubriora embammata haberi credo. Locustis item, quas repunculos sive rapunculos vocant, aceto et pauculo oleo conditis primis in mensis utitor, raphano vero et cepis acribusque omnibus parcissime. Sed de cibis breviter haec dixisse sat sit, ad potum itaque, qui et naturalis est, et necessarius, ut Plutarchus[45]) ait, sermonem convertamus.

De potu.
Cap. VII.

Vinum album vel ex albo flavescens, lene, odoratum, subacerbum, mediocre adultis et decrepitis innocuum, pueris, quoniam oblaedit insigniter, non offertur, rubeum, odorum, lene, malum non habet, pestilentissimum, quod suave, fumosum, turbidum. Felicissimus, qui in poculis modum novit, quive cum Euripide exclamat, *εἴης μοι, μέτριον δέ πως εἴης, μηδ' ἀπολείποις*, hoc est, si latine reddas, eho, dum ad me, sed ne quid nimis, at temperate, nec unquam mihi desis, dulcis Iacche. Immoderata enim, et quae nunquam commendata est ebrietas, tertiumque illud et quartum poculum, quod nostrum non est, sed injuriae ad pestilentis draconis antra deducunt, hilarescere tamen statis diebus permitto quemadmodum

43) Lib. de pestil. cap. 4. — Sch. —
44) Gal. alim. lib. II. — Sch. — (Tom. II. 3. p. 58. — G. —)
45) Saturnal. lib. — Sch. —

Mnesitheum, atheniensem medicum, fecisse intelligo. Sunt ex Arabibus medicis, qui Baccho *νηφάλιν* facere eo in tempore praecipiant, verum nos credimus illos vehementia et fortia multum vina intelligere, et praeceptum hoc ad Machumetos, ut quidam mecum sentiunt, transferri. Eorum enim lege cautum erat, ne vina, nisi in syncopi animique defectione biberent. Potentes ignitum et excandescens aurum in vinis, quae paullo ante probavimus, saepe extinguant, jubeant etiam Absinthide [46]), quod laudatissimum esse experior, ut parent ministri, siquidem egregie defendit nos, stomacho etiam utile, ut Dioscorides [47]) inquit, et tardam concoctionem accelerare facit, auxiliatur hepaticis, fastidia discutit, ac removet, iisque, quibus stomachus negotium praebet, salubre. Pauperibus et tenuioris fortunae posca non disconvenit, frigidos vero ventriculos laedit. Tempore non gelido aquis electis miscemus rosas et aceti modicum, julep violarum, rosarum, acidum syrupum maliique punici acorem aut cydoneorum succum.

De motu et quiete paucula.
Caput VIII.

Moderatum exercitium in vicinis duntaxat locis a concoctione ocyus aggrediendum. Tum enim spiratio nullo plane adficietur incommodo, vehemens autem et quod lassitudinem inducit, quodve in longinquis locis sub sole ardentiore fit, tutum non esse censeto. Verendum enim, ne ad magnam anhelitus mutationem ac pororum corporis apertionem hostilis sublatatur spiritus. Quod si constaret, quam maturam olim mortem, quamve magnam mortalibus injuriam ac incommodum otia, desidiae, ignavia, pigrities attulerint, illa et execrareris, et damnares merito. Verum quando opus non sit multa in praesens super his dicere, exequamur motui et quieti annexa, quae particularia exercitia dicuntur.

De frictione.

Corpus universum, postquam probe descendit cibus, mediocri frictione excalfacito, deinde odoro oleo commixtis aromaticis pulveribus perunge, verum dum facis haec, extra aulae tuae limites pedem eo die ne ponas; Ministris autem et astantibus, quibus per otia domi sedere non datur, ut omni die, praesertim mane, tepido

---

46) i. e. *οἶνος ἀψινθίτης*. — G. —

47) Lib. V. cap. 41. — Sch. —

rosaceo aceto membra perfricent praecipio. Miscetur tamen fere semper, quibus nervorum cura est, ne convulsione rapiantur, vel alio quovis malo, malvatici vini fortis parum.

De balneo.

Ad balnea pro more, et quae ita apud te inolevit veteri consuetudine, rediturus cave imprimis, ne pyriaterium, in quo plures admodum mortalium confluunt, et repetas, et adeas, quandoquidem brevis voluptatis gratia, qui praeceptum hoc a veteribus etiam traditum flocci fecere, magnam olim deposuisse felicitatem vidi. Quod si causam rimeris, disces commune esse omnibus hypocaustis ut humanae compaginis poros largius aperiant, cutem raram, laxam et mollem efficiant, deinde si frequentes, succos et commoveant, et cor oblaedant. Verum quando nihil ad praecautionem faciant, aptas pesti et faciunt, et digito quasi indicant fores. Quapropter si incommodum vitare cupis, bis ad summum omni mense domi tuae digesto cibo, abjectis excrementis, et sudare, et lavare potes, decoctis in aqua odoris herbis, quae sudorem concretosque sordes pulchre et elicere, et abstergere valeant. Facit autem id Chamaemilon, mellilotum, absinthium, citraria, Celtica spica, (cujus decocto Lybes olim in lavandis corporibus utebantur) et quae hisce similes sunt herbae, mature etiam et in tempore postquam fluentia detersisti, exiens sub tepida aqua, in qua rosae praebulierint, universum perfundas corpus, vel adhidita frictione, mixtis rosati olei partibus jj. nardini partem j. aceti rosacei parte dimidia inunge. Veteres ut se a peste defenderent, oenanthino oleo Paullo teste, a balneis usi sunt, at perparum refert, qualiaqualia sint, dummodo odorata, et quae patulos meatus optime claudant. Cautum est, ne corpus crudum et cibis onustum ac distentum ad lavacra protrahas. Perinde enim esset, quam si in mare [48]) deducas navem putrem ac rimosam, idcirco et hujus te monitum voluimus.

De venere.

Veneris immulcebres delicias iis temporibus, quibus pestilentia dominatur, imprimis periculosas esse ac letales Oribasius [49]) autor. Frequens enim concubitus, Ruffo teste, non tam corporis,

48) Plutarch. de sanct. tuend. — Sch. — (ed. Xylandr. T. II. p. 128. — G. —)

49) Lib. Euporist. — Sch. — (I. 13. p. 24. ed. Bas. — G. —)

quam animi naturam dissolvit, corpus quidem emaciando et fortitudinem ejus tollendo, animi vero intellectum perturbando. Sed haec ambo debilitas sequitur, nesciens infecti aeris qualitati adversum ire, idcirco fit, ut plures hac ex causa opprimantur et pereant. Mediocre autem concubium, et, ut Paulus [50]) ait, noctis, sine noxa et damno. Plenitudinem enim vacuat, corpus auctum, leve, virile reddit, et quod ad animum adtinet, rationis vim impeditam solvit, ingentes iras remittit, ad modestiam reducit insanientes, et morbis, quos pituita conflavit, opitulatur, fastidientibusque cibi appetentiam restituit, verum in legitimos matricis cancellos semen transfundere Dominus [51]) mandavit, qua propter ne et illius immemor esses, monuimus.

De somno et vigilia.
Caput IX.

Monebimus hic paucis, ne et somni, et vigiliarum modus ignoretur. Quemadmodum enim naturali instinctu assuefecit nos ea, quae in nobis est natura, ita eam veluti ducem sequendam existimato. Diem vero vigilare, nocte dormire, suavesque capessere somnos conveniens est. Horum si mutetur quidpiam, malum esse Hippocrates [52]) indicavit, commonstravit etiam saepe experientia. Nolo tamen, ut Endymionis Epimenidisque somnum dormias, quemadmodum e contra nec longas agas vigilias, laudatur in utrisque mediocritas.

De animi affectibus seu pathematis.
Caput X.

Captum curis et timore animum solvito, et in desideria si rapiatur, habenis laxis obsecundato, ne demissus in tristitiam, iram aut furorem abeat. Firmant mentem charorum amicorum convivia, (quae ciborum parcitate, animi tum lassitudine frequentant) ludicrae res, ludus, facetiae, risus, historiarum, insignium virorum et nobilium matronarum placitae commemorationes, citra nauseam tamen, Aesopicae fabulae et aniles, musicalium instrumentorum vivae voces, soni cantusque, quae singula ut animum conservant ac reddunt, ita componunt perturbatum ac tabescentem, lugubres vero ac tristes, et formidolosae fabulae, campanarum soni et omnia, quae in phan-

50) Paul. Aegin. — Sch. — (de re med. I. 35. 15. ed. Bas. — G. —)
51) Ephes. V. lib. I. — Sch. —
52) Aphor. II. 3. — Sch. — (T. I. p. 72. — G. —)

tasmata moeroremque descendere animum faciunt, summe vitanda, quando summe morbum pariunt ac conciliant. Est mihi Thucydides [53]) author, *δεινότατον δὲ παντὸς εἶναι τοῦ κακοῦ ἡδὲ ἀθυμία, ὁπότε τις αἴσθοιτο κάμνων. πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον ἐυδὺς τραπόμενοι, τῇ γνώμῃ πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτούς, καὶ οὐκ ἀντεῖχον*, hoc est, gravissimum vero totius olim mali fuisse animi deliquium, dum quis laboris sui conscius suum statim despondet animum, quippe se ipsos magis perdebant, neque malo ocurrebant.

De inanitione et repletione.
Caput XI.

Improbavimus fere semper intempestivas ingurgitationes, crapulas et immoderatam, quae circa cibum potumve, vitam, nunc vero, quoniam de inanitione sermo nobis est, nec extremam esuritionem, inediam sitimque experiendam consulimus, laudatur in omnibus aurea, quae in medio consistit, mediocritas. Socrates unico sobrietatis antidoto in atheniensi pestilentia se ipsum ab omni caeli impietate insuperabilem reddidit, alii vero vitae castitate victusque parsimonia morbos et praevenere, et extremam attigere senectutem, inter quos Antiochus medicus, Telemachus grammaticus, Apollonius, Democritus et Xenophilus ille musicus, qui centum et quinque annis sine ullo corporis incommodo vitam egit, autor est Plinius [54]). Et plures alii, quos consulto jam praeterimus, cum quia praesens memoria non est, tum quia recensere prolixum esset.

De alvi officio.

Est insuper nec alvi negligendum officium, sed ut accepta haec reddat, inprimis studendum, siquidem ab initio antiquorum, Oribasio [55]) teste, semper visum est pro sanitate incolumi servanda ut venter secundus diebus procuretur quotidianis, et inculpabilis urinarum emissio secundum ciborum aut potionum administrationem reddatur. Admonuit nos hujus alibi saepe Galenus [56]) tum vero in tuendae bonae valetudinis libris, verum non euntem sponte levi-

53) De bello pelop. Lib. II. — Sch. — (c. 51. — G. —)

54) Hist. natur. VII. 50. — Sch. —

55) Euporist. lib. — Sch. — (I. 45. p. 45. ed. Bas. — G. —)

56) Lib. I. et VI. — Sch. — (I. 18. p. 266. et VI. 9. p. 387. T. II. — G. —)

bus imprimis tentamus, irritamusque medicamentis, quae moderate, modeste et sine tumultu illam dejicere et exonerare possunt, myrobalanos tamen et thebaicas palmulas, quas tamarindos vocant, quaeve stiptica id virtute efficere valent, reliquis facile praeferimus. Claudent enim simul et aperient. Nec Damascena illa pruna, accepta a Damasco, Syriae monte, in quo nascuntur, nomine, quum ex blande alvum aperientibus lubricamque facientibus sint, increpamus, quamvis germana quoque virtute illis parum cedere videam, si matura siccave, praeduro abjecto nucleo, quinque, sex et ultra comedantur. Poteris etiam utraque, adjecto saccharo medico (nam et huic subducendi potentia est) in purissima aqua decoquere, et mali punici grana supermandere, prandiumque differre. Uvae passae pingues, demptis arillis, unciae unius pondere manducantur, caricae item quinque aut sex, et myxariorum (vulgo Sebesten vocant) septem numero pulpae, conserva florum boraginis et violarum purpurearum unciae unius pondere, rosarum item non soluti succus, melina mala reposita, assata, et, praesumpto tegmine, saccharo aspersa leniter ad sellam ducunt, sicut etiam gallinarum capique et nigri ciceris modice salsa et parum pinguia juscula, in quibus cassiae catharticae recens extractum medullaceum unciae unius aut drachmarum sex pondere dissolve, adjiciens perpetuo et semper de cinnamomo electissimo tertiam drachmae partem. Manna nobilium medicamen est, et seorsim aequali cum cassia pondere sumitur, aut in caprino sero modice salito, mixto saccaro, resolvitur. Sic enim fortius et ire, et projicere ventrem faciet. Nec violaria herba ad movendam alvum impigra est, dummodo succum suum secum habeat, non excocta. Bis namque aut tertio, quemadmodum reliquae remollientes herbae, mutata aqua cocta constringere, laxaque prohibere videntur. Haec singula reliquum cibum praecant, et prandium non statim, sed aliquanto post intervallo inchoetur, ad minus vero sesquihorae spatium intermediet. Oportet etiam varie hisce uti, neque, uno tantum delecto, id perpetuo exhibere. Assuefacta namque, Galeno [57]) et Avicenna [58]) testibus, spatio sumentis natura pharmaci vim omnem contemnit, Averroës [59]) inter res optimas mollientes alvum posuit pilas Ruffi, de quibus infra. Desidendi autem et mejendi si nos incessat cupiditas, sive in publicis, vel privatis actionibus agamus,

57) De sanit. tuend. V. — Sch. — (T. II. p. 366. — G. —)
58) Cap. III. Fen. 10. tract. 1. c. 40. p. 482 seq. — G. —
59) Colliget. VI. — Sch. — (17. p. 117. b. — G. —)

nunquam negligatur, sed sponte euntem naturam eo, qno petit et repit, deducito. Poteris et vomitu gravatum ventriculum abjicere, prolixos tamen cave. At quibus praesidiis secundus pestilenti tempore efficiatur venter, jam dixi, reliquum est, quoniam sic se suggessit dicendorum materia, ut de peccantibus exequamur humoribus. Jam enim de iis, qui succorum improbitate carent, praeteritus est sermo.

De sanguinis missione.

Sanguinis missione, quum vitae hic et sedes, et thesaurus sit, non omnes aequaeliter opus habent, magis tamen illi, quibus plena, ampla scatentiaque vasa sunt, robustum, carnosum, rubrum item et pilosum corpus habentes. Quoniam haec sanguinis dominium indicant, ex media dextri brachii vena, praemisso mediocri exercitio, et lenium enematum injectione commodius auferemus, verum liberalius paulo (si vires et reliqua illic pentitanda non prohibent) quam reliquo pestilenti tempore: Arrepti enim ob acerbam crisim judicationemque talium deinceps praesidiorum nullum et postulant, et admittunt. Reliquis opem tulit magnam etiam accessionis tempore venaesectio, attendendum quin etiam, ne, silente luna, interlunioque, haemorrhoidibus item et menstruis laborantibus, vel quando indigestio cibique in ventriculo cruditas subest, quod intelligere possumus, si nauseantes vel eructantes viderimus cum intestinorum hypochondriorumque gravitate, inflatione et murmure venam resecemus. Cucurbitulas autem, praescisso loco, adfigimus intra spatulas quidem illas, quas communis venae, quam medianam vocant, utilitatem assequi voluerit, quae vero supra nates paullo admoventur, id commodi, quod regalis vena, praebere videntur, sed illis hae perpetuo, quibus venae apertio ob plurima utilis non est, conveniunt.

De reliquorum humorum purgatione.

Si vitiosi tamen succi, hique citra sanguinis copiam subsint, purgationem illico, quae infestanti excremento sit accommodata, petendam esse ex Hippocratis autoritate indicavit Galenus [60]). Statim enim, incipiente pestifera contagione, quaecunque (inquit) corpora vidimus humida, statim quovis modo exiccare tentavimus, quaecunque vero sicciora, pristinam naturam in his custodivimus,

60) De febrib. Lib. I. c. 11. — Sch. — (T. III. p. 134. — G. —)

Orenges also and Lemones, or suche muske balles as I before described, be thinges mete for this purpose. For as I saied in my ij. litle bokes in Latine de medendi methodo, of deuise to cure diseases, there is no thinge more comfortable to the spirites then good and swiet odoures. On this wise aduised how to order your selues in al the time of the fitte, now this remaineth, to exhorte you not to go out of your houses for iij. dayes, or ij. at the least after the fitte passed, and then wiselye, warely, and not except in a faire bright daye, for feare of swouning after great emptinesse, and vnwont ayer, or for forcyng nature by soubdaine strikyng in of thesame aier, colde, or euil, in to the open body. For nature so forced, maketh often tymes a sore and subdaine fluxe, as wel after auoidaunce of these humores by sweate, (as was this yere well sene in many persones in diuerse contries of Englande for none other cause) as of others by purgation.

Thus I haue declared the begynning, name, nature, accidentes, signes, causes, preseruations, and cures naturall of this disease the sweatynge sickenes, English Ephemera, or pestilent sweate, so shortly & plainly as I could for ye cōmune saufty of my good countrimen, help, relieue, & defence of thesame against ye soubdaine assaultes of the disease, & to satisfie the honeste requeste of my louynge frendes and gentle acquaintance. If other causes ther be supernatural, theim I leue to the diuines to serche, and the diseases thereof to cure, as a matter with out the compasse of my facultie.

IOHANNIS CAII

BRITANNI

DE

EPHEMERA

BRITANNICA

LIBER

SUMMA CURA RECOGNITUS.

LONDINI, 1721.
IMPENSIS GUL. ET JOH. INNYS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

ATQUE

ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. ANTONIO PERENOTO,

ATRABATENSI EPISCOPO,

CAESAREAE MAIESTATI A SANCTIORI CONSILIO, ET EIUSDEM SCRINII MAGISTRO,

JOHANNES CAIUS S. D.

Sapienter [1]) scriptum est a Poseidippo, Praesul reverendissime, ἢ τὸ γενέσθαι μηδέποτε, ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον· hoc est, aut non

---

1) [Diu mihi haesitanti, num Caji Britanni latinum quoque de sudore anglico librum exciperem, quem cel. Heckerus nuper recudendum curavit (Berol. 1833· 12) excusationem novae editionis praebere videbatur hoc, quod moleste latum iri credidi a viris doctis libri praestantissimi ejusque britannici desiderationem. Accedebat, quod Grunerus non paucas nec spernendas notas Cajo adjecerat, quas quidem partim rejeci, partim servavi et auxi. Editio anni 1721 forma 8. impressa est. — H. —]

Primum prodiit liber in: Opera aliquot et versiones, partim jam nota, partim recognita atque aucta, quorum catalogum versa pagina exhibet, Lovanii ab A. M. Bergagne typogr. jurato. 1556. 8. (Maittaire) Item alio titulo: Jo. Caji de methodo medendi libri duo ab ipso auctore recogniti atque aucti. De Ephemera Britannica liber unus, jam primum excusus. Galeni De suis libris liber unus. De ordine librorum suorum liber unus. De ratione victus secundum Hippocratem in morbis acutis liber unus non ante editus. De placitis Hippocratis et Platonis liber primus, Jo. Cajo interprete, Lovan. typis Diesten, anno 1556. 8. (Bibl. Guenz. et Maittaire) Superest nobis nova editio: Jo. Caji Britanni de Ephemera Britannica liber unus, summa cura recognitus. Lond. impensis Gul. et Joh. Innys 1721. 8. Libellus scriptus et finitus est a. 1552, praefatio subscripta Lond. 1555. Stilus purus, tersus, perspicuus et ad imitationem Celsi compositus, in quo emendando auctor cum laude versatus erat. (Jo. Rhodii, praef. ad Scribon. Larg.; et ipse Cajus, de libr. propr.) Sensus passim implicitus, descriptio morbi patrii perquam accurata, eaque

nasci omnino, aut natum quam mox interire. Id, ut etiam nos censeamus, ratio humanae vitae postulat. Quantis enim malis re-

---

de causa liber prae ceteris lectu dignus, cum luis a. 1551 grassantis imaginem praeclare expressam habeat. Praeterea Conr. Gesnerus (Epit. Biblioth. C. Gesner per Joh. Timler, Tigur. 1555 p. 93 et Append. Bibl. C. Gesn. ib. p. 60) meminit editionis librorum Galenicorum Basil. ap. Froben. 1544 et in ea nominatim inesse refert: „De Ephemera Britannica, quam sudorem vocant, duos libros, alterum ad populum Britannicum, alterum in commune omnium commodum," at vero nec annus editionis nec locus consentit, (haec enim prior Lovaniensi foret) sed utriusque inscriptio fere est eadem, ideoque potius a. 1555 recipiendus. Ego vero cum utramque editionem non viderim, nihil decernere audeo. In Bibl. Guenz. p. 44. Harlesii Introduct. in histor. ling. graec. p. 399 et Carrère, Bibl. hist. de la Medec. Tom. II. p. 279, alia exhibetur editio: „Cl. Galeni libri aliquot graeci, partim hactenus non visi, partim mendis, quibus scatebant, innumeris ad vetustissimos codices repurgati et integritati suae restituti, annotationibusque Jo. Caji illustrati, Basil. ap. Froben. 1544. 4. et 1574;" sed nec illa Gesnero adfirmanti favet. Supersunt I. B. Montani Opuscula varia, Basil. 1544. 8. et auctiora 1558. In his, Tom. I. p. 178. legitur: „Jo. Caji Britanni De medendi methodo ex Cl. Galeni Pergam. et Jo. B. Montani sententia," deest tamen liber de Ephemera britannica. Omnem dubitationem tollit ipse Cajus. (De canibus britannicis liber unus, de rariorum animalium et stripium historia liber unus, de propriis libris liber unus, de pronunciatione graecae et latinae linguae cum scriptione nova libellus, ad optimorum exemplarium fidem recogniti a Sam. Jebb, M. D. Lond. 1729. 8. cujus prima editio est Lond. 1570, altera 1574, tertia Norimb. 1685 in Paullini Cynographia, quarta L. B. 1728, repet. in Poet. lat. rei venatic. script. Hag. Com. 1728). Ille vero p. 205 mem. tantum: „De medendi methodo duos, de Ephemera britannica duos, de Ephemera britannica ad populum britannicum unum et p. 133 secundos (libros) anno domini 1542, exercitii nostri causa juvenes adhuc in Italia lusimus, eosque duos, quos de medendi methodo ex sententia Galeni et J. Bapt. Montani (praeceptoris nostri in medicina) inscripsimus, quod in eis libris conscribendis secuti sumus ductum eorum virorum."

De lue sudatoria a. 1551 haec scripsit ibid. p. 168: „Istis (libellis) confectis, coepit in Anglia anno salutis humanae 1551 pullulare pestis nostra insulana, quam nos ephemeram seu sudorem britannicum alio nomine vocitamus. Is, quod postea saevirit graviter, scripsimus rogante amico nostro, Rob. Warmyngthono, philosopho et jurisconsulto Londinensi cum primis docto, aliisque amicis postulantibus, de ephemera Britannica ad populum Britannicum librum primo unum, festinatione potius effusum, propter morbum praecipitem, et Londini apud Richardum Graftonum, typographum regium, excusum, quam cura diligentius per maturitatem elaboratum, postea alterum accuratius in commune omnium commodum, sed et eum primo singularem, postea propter magnam accessionem in duos divisum, in quorum altero causas morbi et praeservationem, in altero remedia copiose explicavimus. Hic liber poterit esse medicinae studiosis particulare exemplar universalis methodi, ut ante proposuimus, cum de libris nostris de medendi methodo diximus.

ferta ea sit, quibus casibus exposita, quam omnibus fortunae telis objecta, et quot morbis obnoxia, quotidianus usus docet. Etenim ut a vitae nostrae primordiis ordiamur, quis non videt naturam primum nascentium hominum fletum et vagitum esse voluisse? Omnes his principiis edimur, his omnis insequentium annorum ordo

---

Istis jungebamus libros tres latinos Galeni ex nostra translatione — ex his duo sunt de libris propriis et ordine librorum suorum, tertius de ratione victus Hippocratis in morbis acutis.“ Haec quidem ad editionem Lovaniensem pertinent, plura huc attinentia memoriae prodidit Mich. Maittaire (Annal. Typograph. Tom. I. pars prior, Hag. Com. 1725, p. 418 — 428). Verba vero: „alterum primo singularem, postea propter magnam accessionem in duos divisum“ suspicionem alius editionis adferunt. — Exstant alia Jo. Caji scripta, quae paucis attigisse sufficiat. *Κλαύδιου Γαλήνου τοῦ ἐκ Περγάμου περὶ ὑγιεινῶν λόγοι ἕξ.* Claud. Galeni Pergam. de tuenda valetudine libr. VI. graece quam plurimis in locis ad vetusta exemplaria castigati per Jo. Cajum, Britannicum. Basil. ap. Froben. 1549. 8. (Bibl. Platner.) — *Γαλήνου τὰ χαρακτηρίζοντα τὰ τοῦ Ἱπποκράτους*, graece cum Galeni libris quibusdam per Jo. Cajum. Basil. 1557. 8. — Galeni libri de septimestri partu, brevis designatio dogmatum Hippocratis, de ptisana de ossibus; graece integri et emendati per Jo. Cajum, Basil. ap. Oporin. 1557. 8. (Bibl. Platn.) — Historiae Cantabrigiensis Academiae ab urbe condita liber primus (et secundus) autore Joh. Cajo Anglo, Lond. 1574, 4. Cui opposita est: Assertio antiquitatis Oxoniensis Academiae, incerto authore ejusdem gymnasii ad illustriss. Reginam, a. 1566. — Lond. 1574. — Respondit Cajus anonyme: De antiquitate Cantabrigiensis Academiae libri duo aucti ab ipso authore plurimum, in quorum secundo de Oxoniensis quoque gymnasii antiquitate disseritur, et Cantabrigiense longe eo antiquius esse definitur, Joh. Cajo, Anglo, authore. — Lond. 1574. 4.

Natus est Cajus Nordovici a. 1510; operam dedit medicinae primum Cantabrigiae, deinde Jo. Bapt. Montani sectator et A. Vesalii in Italia contubernalis, a. 1543 Pataviae philosophiam Aristotelicam simul cum Realdo Columbo publice professus, post Londini lector anatomes apud chirurgos, tandem constitutus archiater (1547) regum Angliae Eduardi VI, Mariae et Elisabethae fuit. Quo munere cum se abdicasset, redux Cantabrigiam sumtibus suis collegium Gonevillianum, ideoque ab regibus Gonevilli et Caji collegium appellatum restituit. Ceterum quoque cadaverum binorum publice quotannis dissecandorum primus in Anglia auctor fuit. (Hoadly, Orat. Harveian. p. 42. Caji Histor. Cantabrig. Acad. I. p. 65 et: A Tour trough the Island of Great-Britain; Vol. I. Lond. 1778. p. 79.) studiorum promotor, medicorum tutor et vindex, veterum Graecorum interpres, doctus, criticus, historicus; denatus Cantabrigiae, a. 1573 d. 29. Iul. (P. Freheri Theatr. viror. erudit. illustr. p. 1267 et Ge. Matthiae Conspect. hist. med. chronol. p. 202). Vitae narrationem brevem dederunt C. W. Kestner (Med. Gelehrt. Lexic. p. 165.), Joh. Aikin (Biograph. Memoirs of Medicine in Great-Britain, p. 119. seq.), Eloy (Dict. hist. de la Médec. Tom. I. p. 502) et Carrère (Bibl. literaire de la Méd. T. II. p. 278 — [Conf. Hecker, D. engl. Schweiss, p. 184. — H. —] — G. —

consentit. Si enim respicere velis, quantum a tergo malorum, quantum rerum tristium immineat, larga certe miseriei et assidua materia est. Nam hunc incendia consumunt, illum caedes sustulit, alium unda absorbet, alium ex alto tegula enecat, tempestas alium conficit, alium dehiscens terra devorat, alium serpens, alium praeceps casus exanimat. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat, alium ambitio nunquam quieta solicitat; alius divitias (fortunae ludibria) quas optaverat, metuit, et voto laborat suo, ut recte scripsit Seneca. Istum solicitudo, illum simultas turbat; alium labor in affluentia rerum torquet, alium ad ostium aut in via obsidens turba molestat. Hunc brumalibus diebus frigus, illum aestivalibus calor urget; sitis alium, alium fames premit. Hic timet, ille invidet, illum stultus amor vexat, hunc edax odium emaciat. Hic habere se dolet liberos et uxorem, hic perdidisse. Istum irrita fallacis fortunae spes inquietat, illum cui uberioris rei expectatio nulla erat, onere fortuna gravat. Eadem hunc attollit, hunc deprimit, et de rebus brevi relinquendis, deque lana saepe caprina, tanquam pro aris atque focis, hic pugnat, hic litigat, ut in vita saepius aut de βρόχῳ, aut de λόγῳ cogitandum, uti sapiens Diogenes solebat dicere. Itaque ratio nobis in rebus humanis ni finem miseriarum fecerit, fortuna non faciet, et vita nobis ante deerit, quam causa dolendi: tantae hominum curae, tantum est in rebus inane. Eam ob rem ita felicissimus quisque habetur, ut quam minimis quamque paucissimis hujus vitae incommodis urgetur: pulchro sane felicitatis genere. Ea tamen sors nostra est, ea infelix conditio, ea iniqua felicitas, ut citius de vita decedas, quam ista declines. Imo cum multum diuque hujus vitae procellis susque deque jactatus fueris, multis periculis defunctus, tum cum suavissime quod vitae superest agendum speres, subeunt morbi, tristisque senectus; tandemque mortem obire, dissoluto naturae vinculo, cogeris: egregium scilicet auctoramentum vitae. Certa tamen naturae ratio haec est, nec fallit unquam. Etenim ita comparatum est, ut commorandi natura diversorium nobis, non habitandi dederit. Quod enim constitutionis nostrae elementa corrumpi facile possunt, et eorum nexus levi quavis occasione dissolvi solet, exiguum nobis vitae curriculum natura circumscripsit. Quare superanda omnis fortuna ferendo est, et contra brevis vitae mortalitatem nitendum virtute, literis, et recte factis, nam

virtus post funera vivit
Et famam extendere factis
Hoc virtutis opus,

dandaque opera, ut cum corpus mortale et caducum sit, mens immortalis atque stabilis esse possit; utque apud posteros honestae vitae memoriam relinquamus, quae perpetuo vivat. His enim modis inveniuntur rationes, quibus ista vitae impedimenta aut amputemus aut elevemus. Quae res suasit, ut in illis rerum angustiis, quibus premebantur nostri, cum Ephemera seu Sudor Britannicus affligeret, aliquas rationes excogitarem, quibus aeger aut expediretur, aut si expediri malo omnino non posset, solaretur tamen. Eas literis mandavi, atque in publicum communeque commodum sub illustri illo tuae Reverentiae nomine contuli: quem etsi de facie non novi, de illustri tamen nomine, de gravitate et prudentia, de comitate et literis, functionisque tuae munere atque dexteritate, ceteraque virtute vel maxime novi, quae potissima cognoscendi ratio est. Nam cum homo duabus constet partibus, corpore et animo, maxime qualis homo sit, et quod homo sit, ex mente pervidetur. Nam si ex lineamentis figuraque corporis homo aut censeretur, aut aestimaretur, eadem opera et statua homo esse censeri poterit. Proinde sapienter fecerunt illi Philosophi, qui, ut, an homo quis esset cognoscerent, loqui jusserunt, quo mentis, non corporis indicio hominem intelligerent. Ut autem hoc ad te opusculum darem, et virtutum tuarum laudes, et ut per te mali sui cum nostro communis (Sudorem dico Britannicum) tui Belgae, caeteraque natio Germanica solamen sentiant, in causa fuere. Tuum erit (amplissime vir) quod virtutes tuas ornandi studio, tuosque cum nostris levandi desiderio datum sit, ea gratia suscipere, quam te virtutes tuae docent, et carus amor erga tuos jubet. Bene vale. Londini, pridie Idus Januarii, anno 1555.

IOHANNIS CAII

BRITANNI

DE

EPHEMERA BRITANNICA

LIBER.

Misertus conditionis Britannicae, atque amicorum rogatione incitatus, scripsi libellum superioribus diebus de pestilenti Ephemera jam tum populariter grassante, quam nostri homines Sudorem vocant. In eo plenius executus sum oratione ad popularem sensum accommodata, primo quae ad mali originem, causas, et symptomata pertinent: Cur privatim toties insulam Britanniam plus quam caeteras regiones impetat: tum ut secunda adhuc valetudine per gravia haec tempora agendum tuto sit: Postremo, quibus modis avertendum malum, et quibus rationibus, peculiariter Britannis, infestante jam morbo, medendum sit. Idipsum, exacto jam mense uno postquam malum coepit, in omnium gratiam facturo mihi, eundem tractandi ordinem sequendum quidem sed alia via insistendum est, quanto major ratio doctorum quam rudium, omnium quam paucorum, esse jure debeat. Quare dicam primo quae morbi saevitia sit, quis ortus, quod nomen et natura, quae signa atque causae, quae convenientia et cognatio cum nostris: Dein, quemadmodum se quisque a morbi contagione defendat: Ad extremum, ut se quis expediat, si morbus occupat. Principium tractationis capiam a populari grassatione, saevitiaque mali.

Ad decimum septimum calendas Maias anni quinquagesimi primi supra millesimum et quingentesimum a Christo nato, cum jam in alta pace omnia et tranquilla essent, nec ullis perturbata molestiis,

subita et insueta nostris hominibus aegritudo, Salopiae[2]) (clari munitique ad Sabrinam[3]) fiumen oppidi) irrepsit, cujus et nomen et natura, primo suo ortu multos fefellerunt. Sed hi postea malo docti, et veteris injuriae memores, Sudorem, quem Britannicum dicunt, esse tandem intellexerunt. Is tam inclementer populum habebat, ut prope dicam omnes per ea loca et vicina illis prosterneret. Quosdam enim in via, cum iter facerent, sustulit; quosdam domi ostia et fenestras reserando interemit; quosdam per lusum atque jocos parum joculariter jugulavit; per jejunia quosdam, quosdam per saturitatem abripuit; in somno aliquos, nonnullos vigiles interfecit: Usque adeo, ut ex multis ejusdem familiae, pauci a febre incolumes perstiterint: ex paucis, nulli plerunque intacti evaserint. Ex his alios brevi momento, alios unius, duarum aut trium, alios quatuor, aut eo amplius, horarum spatio, postquam sudare coeperant, de vita sustulit. Saepissime qui in prandio hilares erant, sub coenam mortui fuerunt. Sed nemo qui devicto malo superfuerat, ante horas viginti quatuor quam citissime mali molestia et periculo liberatum se gloriari potuit. Itaque ex talibus initiis indies ingravescentibus, ubi acerbiora incrementa, longius latiusque se fundente malo, subsecuta sunt, vix credas quis pavor, quantus metus omnes Britannos invasit; praesertim cum ejus conditionis miserandae, quae tum urgebat, contemplatio funestaque mortis imago, nulli spem vitae (cujus usura omnibus solet esse carissima) non ademerit. Neque enim morbo ulla clementia fuit, nec ullum miseris mortalibus securum refugium. Etenim nusquam non populabatur, nusquam non saeviebat malum. Alios qui se vivos ab hominibus relegarunt, eos-

---

2) De situ hujus urbis inter Staffordiam, Montgomeriam, Wigerniam et Castriam vid. I. W. Imhoff (Regum Pariumque Magnae Britann. Historia genealog. Norimb. 1690. P. II. c. 20. p. 109) et W. Bingley (A Tour round North Wales performed during the Summer of 1798. Vol. II. Lond. 1800. c. 11. p. 181. seq.) nec non Lyttleton (Account of a Journey into Wales, Lett. 2. ib. p. 356.) Ita enim ille „Shrewsbury is an ancient town, seated on a sloping ground, and nearly surrounded by the Severn.“ — G. —

3) Hunc fluvium ita describit Camdenus (Britannia, Lond. 1594, p. 509.) „Statim a fonte ita crebris incurvus flexibus agitur, ut saepe reverti credatur, procurrit tamen, seu potius lentus pervagatur hunc agrum Salopiensem, in Sabrinianum fretum se tandem placide exonerat, hoc vero agro silvis obumbratus in boream eluctatur.“ Eodem modo apud William. Malmesburiensem (De gestis Pontif. Angl. Lib. IV, p. 282 in Rer. Angl. Script.) dicit: „Fluvius Sabrina, quo nullus in hac terra alveo latior, gurgite rapacior, arte piscosior.“ — G. —

dem mortuos in publicum revocavit. Alios conclusos ac pene abditos, contagione enectos in apertum reduxit. Neque sensere id malum foeminae aut servitia, plebesque humilis aut media solum, sed proceres etiam, cum notum sit aequo pede nobiliumque turres humiliumque casas id pulsasse, iniquis tamen modis, ut dicemus postea. In eo hic conquerebatur se siti premi, ille ardoribus consumi, omnes sudore confici. Hunc rursum amentia cepit, hunc gravis sopor oppressit, hunc inquietudo exagitavit. Hic moribundus ingemuit, ille animam expiravit. Et qui valebat dudum, jam febrescebat, versaque vice, qui ante morbo laborabat, nunc alterius sanitatem procurabat. In summa, ita nulli fere hominum pepercit, ita in orbem crudele malum rediit, ut qui alios opera officioque juvissent prius, eos vicissim ab illis subsidium officiumque mutuum petere: et contra, qui ab aliis essent adjuti, eos sine quiete, magna fatigatione operam mutuam praebere, inque vices gravi periculo colla sub jugum mittere cogeret. Jam vero de fuga (quae alias in pestiferis morbis solet esse praesidio) cogitare, aut in alium locum commigrare, inane et supervacuum plane fuit. Nusquam enim tutus portus nostris, nulla ex mutato loco securitas erat, quod nulla malo oberranti omnia requies esset. Alii tamen, relicta urbe, in agros profugerunt: alii contra, ab agris ad urbes convolarunt; alii rursum recessus atque solitudines salutis causa quaerebant: alii domo nunquam prorepebant. Sed cum parum id respondit, quod tanto studio sequebantur; aliis alia diverticula quaerere, et alieno loco atque coelo per interposita maria et longe semota loca se conservare tutissimum visum est. Hinc magna properatione quidam ad Belgas, quidam ad Gallos transfretarunt; ad Hibernos alii, alii ad Scotos se receperunt. At id quoque cum minus ex sententia cecidit, compertumque est laboriosius multo quam ad salutem commodius esse, divinam opem et consilium domi cuique suae expectare, omnibus certum atque constitutum fuit. Itaque malo victi, atque omni spe vitae destituti, decubuere miseri, eodemque saepe lecto vivus alter, alter mortuus, miserabili conditione jacuere. Quod in suis non ferentes mulieres (infirmus sexus sed indulgens) nulla habita aedium cura, neglecto corporis cultu, sine mente discurrebant (ut in tanta animi perturbatione atque metu solet fieri) crebro suspirio, multo ejulatu, et largo lacrymarum fonte omnia complebant; nil nisi mortes loquebantur, quis perfugio locus, quid faciundum percontantes. Supremum diem ratae jam adesse, tende-

bant ad sydera palmas, passisque manibus divinum numen et auxilium in genua procumbentes invocabant, et in suos intuentes, quaeque alterius fidem opemque implorabat. Solicita his cura, ingens labor, summa lassitudo; vix tamen omnes sufficiebant aegrotantium ministerio. Viri morbo intenti, nullam rerum suarum rationem habere, vitae immemores, de morte cogitare. Etenim cum magna ex parte omnes, tum acerbissime viri malum sensere. Quapropter operas negligebant omnes, commercia intermittebant, funebria negotia curabant. Quoquo te vertisses, cadaver conspexisses. Continuus undique nolarum aenearum pulsus, confusus sonus erat. Is omnia loca occupabat, omnem urbem caeterumque vicinum agrum longe lateque adeo personabat atque omnia complebat, adeo sensum turbabat, ut et caput male afficeret, et proxime alloquentem auris non sentiret. Sed quis concentus funebris, quis ploratus pompae fuit, quam acerba omnia, vix certe queo dicere: Nihil enim difficilius, quam magno dolori paria verba reperire. Ubique lugubris erat lamentatio, fletus moerens, acerbus luctus. Erat in luctu senatus, squalebat civitas, dolebat nobilis, moerebat rusticus, tristis aspectus funerum dolentium moerorem exagitabat. Deflebat natum parens, parentem filius, uxor maritum, maritus conjugem, affinis affinem, amicus amicum, miserandis plane modis. Nec ulla mali mortisve grassantis (impari tamen saevitia) finis erat, ante expletos menses quinque et eo amplius. Coepit enim morbus ille Salopiae (ut dixi) Aprili mense medio, nec in extremis Angliae partibus, quae ad septentrionem spectant, nisi Septembri ultimo, postquam omnem regionem percensuisset, finitus est. Quo temporis spatio quot in Anglia periere, vix, credo, dici potest. Hoc constat, quod dolens refero, una civitate pauculis diebus plus minus sexaginta supra nongentos crudeli morbo intercidisse. His modis atque rationibus (ne longum faciam, neve retractando nostrum dolorem refricem, quis enim tantis miseriis non poterit commoveri?) admirabilis illa, et multis plane nova rerum facies, at omnibus formidabilis, omnium animos dejecit, spem prostravit, omnibus praesentis metum mortis constanter incussit, non aliter ac si de coelo terribilis tactu fulminis, inevitabilis jactu teli trisulci metuendi Jovis jam jam ad unum omnes essent intermorituri: tanta morbi inclementia erat.

Ipse, dum haec tragoedia agebatur, praesens spectator interfui, non sine meo gravi sane dolore. Quippe humanum est humanis casibus ingemiscere, multoque magis misericordiam provocant, quae

oculis usurpamus. Quocirca omnia diligenter observare, singula expendere curiosius constitutum mihi fuit, ut ita demum majorum nostrorum more ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodare, praesidiis salutaribus afflictis rebus succurrere foelicius commodiusque liceret. Ita enim me posse aliquid praestare non dubitabam, cum non leve studiorum momentum deprehenderim observationem, cum ratione indagationem, tempus et periclitationem. Id quod indicant inter caetera quarundam herbarum reconditae utilitates, quae ratione, longinqui temporis usu, ac periclitatione percipiuntur. Neque certe hac de re communis vita dubitat, quandoquidem omnia curae diligentiaeque mortalium respondent. At id dum facerem, primum fuit ex causis atque signis non oscitanter aestimatis, novisse morbum. Dein rationem inire quamobrem ista evenirent, et ea nostris potissimum: atque an alios vis morbi consumpsit, alios negligentia, casus, intemperantia aut imperitia sustulit. Ad id, cum praeceps populareque malum esset, an non nisi ex contagione oriri potuisset investigare. Ex quibus non magno negotio innotesceret, quemadmodum istis omnibns occurrere medicamento conveniret. Cum praeceps igitur fervor circa cor, sudorque insequens, sed non excedens horas viginti quatuor, caeteraeque notae, quas mox aperiam cum de signis egero, mali indicium fecerant, non erat difficile comprehendere febrem id esse, ex contagione[4]) pestilentem, unius diei naturalis. Neque enim morbus iste sudor tantum est, ut vulgus putat, sed febris, sed affectus spirituum, qui ratione aëris venenato quodam vapore infecti, dissoluta mistione corrumpuntur, atque in nobis calorem praeter naturam accendunt, dimicantibus una et acriter de victoria concertantibus veneno et natura, uti paulo post non dubiis rationibus declarabo. Hanc, non aliter atque alias febres, propter graves labores et vehementes calores sudor largus, uti symptoma, sequitur. Quemadmodum enim qui opus externum obnixe faciunt, toto corpore sudant, ita qui internis morbis graviter laborant: Iis natura, tanquam apto educendi virus instrumento, utitur. Quod valens robustaque ubi consecuta

4) [Recte hoc loco Grunerus monet, non satis stricte apud ejus temporis medicos discerni contagium a miasmate, sed utrumque confutari. Fatendum tamen est, nostros homines haud absimili modo saepe peccare, cum utramque notionem nimis disjungant. Nihil hac ratione praestantius eo, quod Lorinser nuper de vera contagii et miasmatis natura exposuit in libro egregio: Die Pest des Orients, wie sie entsteht und verhütet wird. Berl. 1837. — H. —]

fuerit, vicit, salvaque res est. Sin prae impotentia id minus poterit, languescunt spiritus, succumbit aeger, deficit anima. Nam sudor hic sponte profluens, atque ad plenum summumque perductus, salutaris est. Idem cohibitus, aut infra quam par est diminutus, vel letalis est, vel certe cum periculo junctus. Id nostris Britannis non semel re compertum est. His enim morbus hic ut adventitius non est, ita novus non est [5]). Siquidem ex historiis Britannicis intelligo, malum hoc ex Britannia ortum esse, (quantum scire licet) in exercitu Henrici Regis Angliae ejus nominis septimi, quem partim ex Gallia tum nuper secum adduxerat, partim in Wallia propter Milfordiam, quo classe appulit, conscripserat: exercuisseque nostros per anteacta tempora, afflixisseque eo quo dixi modo per intervalla quinquies [6]) anno scilicet 1485 primo ab Augusto mense inito, ad Octobrem ultimum. Iterum 1506 aestivo tempore. Tertio, 1517 a Julio mense, ad Decembrem medium. Quarto, 1528 per omnem aestatem. Quinto denique, anno hoc quinquagesimo et altero supra sesquimillesimum, ad menses quinque et eo amplius, uti paulo ante diximus, regnantibus per ea tempora Henrico septimo, Henrico octavo, et Edvardo ejus nominis sexto, Anglorum Regibus. Ex quibus intervallis id

5) Hoc historia magistra certum est. Fuit enim pestis sudatoria in Anglia antequam Henricus Milfordiam navibus appelleret, (ut ex Histor. Croyland. colligitur) incerta est origo mali adventitia (Henricus, comes Richmondiae, teste Ge. Lilio in Chronic. Reg. et Princip. Britann. p. 382 paucis cum militibus e Gallia rediit), conjecturalis ea est opinio, qua lues ab hominum nocentium turba in Angliam illata esse defenditur, desunt enim testimonia historica; nihil ergo certum, verum ac probatum est, nisi hoc, sub adventum Henrici subito apparuisse in Anglia sudorem epidemicum eumque tunc temporis novum i. e. inauditum prius fuisse, minime demum a. 1551 ortum. Tunc enim quinto rediit. — G. —

6) In hoc pestium numero et annorum computatione paullo differunt auctores. Alii cum Polyd. Virgilio anno 1486 primum primae luis initium ponunt, lues tamen a. 1485 et 1486 est eadem, varia tantum calculi ratio. Pro a. 1506 Holinshed habet a. 1507; pro a. 1517 Larrey 1516 et qui eum sequitur Rich. Mead pro a. 1517 nominat a. 1518. Sed idem morbi initium idem finis est. De anno 1551 omnes fere consentiunt, praeter Burnetum, qui sudorem solstitialem a. 1550 adsignavit. Quin ipse Cajus sibi repugnare videtur, cum et a. 1551 et a. 1552 appellaverit. Quantum equidem video, lis omnis amice componi et dubitatio recte tolli potest, si meminerimus majores (v. F. Fr. Neikter in Nov. Act. Societ. Upsal. Vol. VI. No. 18. p. 271 seq.) satis vagos ac inconstantes in annorum notatione fuisse ad saeculum XVI. usque et amplius, ac saepenumero, quae priori anno facta et gesta erant, ad sequentem retulisse, idque, ni omnis fallor, propter varium calendarium civile (1485) vel ecclesiasticum (1486) cujus erat in Anglia per saecula usus. (Cf. Hist. Croyland. et Fragm. Hist. Angl.) — G. —

obiter scire licet, hunc morbum non ejus esse generis quod nobilis auctor Hippocrates ἐπιχώριον seu ἔνδημον nominat, sed ἐπίδημον potius, etsi certis locis atque nationibus, ex ipso loci situ gravis et pestiferi, molestior et frequentior esse consuevit. Nam ἐπίδημον ad certum tempus pervadit regionem aliquam: ἐπιχώριον, contra, nullo non tempore suos comitatur incolas. Exempla subjiciam, Scytharum κέδματα [7]) seu pudendorum dolores, insulaeque Hispaniae (unde lignum Guaiacum apportatur) Syphilis, Judaeorum et Aegyptiorum Elephantiasis, et in Attide tentati gressus, oculique in Achaeis finibus, ut cum Lucretio loquar, epichorii morbi sunt. Aeque et Stiriorum, Italorumque ejus Italiae tractus, quo Brixia, Crema, Bergamum et Ollium flumen sunt (Orobii olim et Coenomani dicebam-

---

7) *Κέδματα* varie a variis explicantur; vel per aneurysma, unde apud Aretaeum (De caus. et signis acut. morb. II. 8. p. 43. Argent. 1768) morbus venae cavae acutus videtur esse, ortus (Baldinger, Progr. de venae cav. acuto morbo. Ien. 1791.) vel per herniam (Triller, Observ. crit. Lib. IV. p. 426) cum ista corporis vitia equitantibus essent familiaria, vel per affectus in articulis omnibus diuturnos (Erotian. Expos. voc. Hippocr. p. 206. et 207) vel circa vertebram coxarum (Hipp. de loc. in hom. §. 19. p. 374. (Galen. Explan. voc. Hipp. p. 498. 499. ed. Franz.) Martien. adnot. in Hippocrat. de adfect. Sect. 2. v. 25. 27.) et per „fluxions chroniques aux articulations“ (Coray, Trait. d'Hippocr. des airs T. II. §. 106. p. 335 et §. 108 p. 339 et 346) vel per „tumeurs variceuses des aines, des bourses du perinée“ (hi enim varices [Varicocele — H. —] morbo Scytharum satis bene respondent) vel per ulcera (Hipp. de intern. adfect. lumbor. et ped. §. 19. p. 374. T. I.) vel per haemorrhoides (G. C. Rothius, De nominib. quib. medicos adpellarunt veteres Germani. Helmst. 1735 c. 1. p. 43.) vel per melancholiam hypochondriacam (Heyne, Comment. societ. Goetting. 1778. Vol. I. p. 28 seq.) eamque etiamnum Mongulis familiarem (I. Reineggs, Beschreib. des Caucasus T. I. p. 270.) vel per masturbationem ab equitatione assidua natam (K. Sprengel, Apolog. des Hippocr. Th. II. p. 616). Henslerus (Geschichte der Lustseuche Th. 1. p. 211.) *κέδματα* dixit esse depositiones ad articulos sine profluvio humidi, sed cum tumore junctas, similique modo Nebel (De morb. veter. obscur. Sect. I. Giess. 1794. No. 1. p. 76.) ista *κέδματα* sequelam *θηλείας νοῦσου* fuisse perhibet. — G. —

[Quamvis longe aliena est verae *κέδματων* notionis expositio a sudoris anglici historia, tamen moneamus, nobis quidem earum sententiam verisimillimam videri, qui haecce *κέδματα* pro varicibus genitalium habent. Male vero Grunerus illa *κέδματα* hoc loco confundit cum Scytharum *νοῦσῳ θηλεία* apud Herodotum atque Hippocratem commemorata, cujus veram naturam Reineggs exposuit, Starkius vero noster commentatione doctissima fusius explanavit (C. W. Stark, De *νοῦσῳ θηλεία* apud Herodotum comment. Ien. 1827. 4.) Plurima de hac re v. apud Rosenbaum, Geschichte der Lustseuche im Alterthume. Halle, 1839. 8. — H. —]

tur) turgentia guttura: quos patria lingua Gossos [8]) vocant. Haec ut hominibus tantum ac suibus accidunt, aquarum quae potantur plerunque vitio, ita spongiarum recentium [9]), ubi furno siccatae sunt, pulvere ex aceto medetur vulgus Italorum, decrescente jam luna et senescente, ore prius aliquantulum retento, postea poto. Sed de morbi genere utcunque sentias, illud optarem, hujus Ephemerae non solum ortum (quod quidam conjiciunt, cujus rei tamen fidem ad auctores relego, potius quam meam astringo) sed moram atque interitum etiam apud Graecos Trojano, aut Cantabros Cantabrico, aut Turcas Rhodiensi [10]) bello extitisse potius, quam ut tantis damnis atque incommodis, quibus solet molestus esse, nostros idem afficeret, atque originis suae gloriam (quae video quam sit exigua) ad Anglos referret. Ita siquidem nec nostros, nec propinquos nobis Belgas (maxime Ambuaritos sive Brabantinos) nec remotos Germanos fatigasset. Sed in hos aequior fuit, ut quos semel tantum, etsi ex reliquis gentibus atque nationibus solos [11]), male affecit idque anno 1529 Septembri mense, ut ex illorum Historicis comprehendo. Ad hunc modum, quod ad naturam, ortum, atque moram mali spectat cognito atque explicato, alienum non fuerit si, ut ante instituimus, a natura rei febrem nomines, ex insula atque natione Britannicam, ex contagione pestilentem [12]) ex spatio diariam. Haec, aliaque, quae mox commemorabo, ni obstarent, τυφωδες, illud aut ἑλωδες febris genus hanc esse putares non inepte, ex fumoso sudantium vapore, ut ex palude solet, et repentina effluentis humoris copia. Sed cum haec nostra unius diei, illa plurium sit, (ut est etiam ἰδρωδης Hippocratis πυρετὸς) haec sudoribus tollitur, illa leniter aut nulla ex parte sudore minuitur, haec contagione, illa non concipitur, crederes etiam sine offensa, nec τυφωδην esse febrem hanc, nec ἑλωδην. Ad haec quos ista invasit, istis modis torsit. Primo insultu aliis cervices aut scapulas, aliis crus aut brachium occupa-

---

8) A g o z z o guttur, hinc gossum, sub gula, guttur tumidum (J u v e n a l.) i. e. struma. — G. —

9) Ergo ista medicina ex spongiis nova non est! — G. —

10) De hac conjectura improbabili vide quae ad Tertium Damianum (p. 21.) monuimus. — G. —

11) Errat hoc loco C a j u s; nec enim immunes mansere Dani atque Sueci a. 1529. Gallos vero, Hispanos, Italos nunquam attigit febris sudatoria. — G. —

12) Qua de sausa sine dubio factum est, ut inde ab a. 1528 febris peticularis etiam ut species sub pestilenti febre, tanquam genere, comprehenderetur. — G. —

vit. Aliis sensus erat veluti spiritus aut flatus calidi per membra ea discurrentis. Una cum his subitus, et sine manifesta causa hinc morbo insuetis, largus sudor manavit. Interiora calebant primo, postea ardebant, calore jam inde ad extimas corporis partes diffuso. Sitis ingens, jactatio inquieta. Cor, jecur, atque stomachum male morbus habuit. Haec omnia subsecutus est gravis dolor capitis, vanum loquaxque delirium, post marcor et inexpugnabilis pene dormiendi necessitas. Habet enim morbus quoddam acrius ex aëre noxio virus, quod mentem et furore movet, et sopore opprimit; ea vis malo est.

Rursum, aliis principio cohibitus sudor est, frigebant membra leviter: at postea erupit idem promotus, sed odore gravis, colore in alio alius pro humoris ratione, quantitate subinde diminutus, subinde copiosus, substantia crassus. Aliis nausea, aliis vomitus erat, sed perpaucis, et pene solis ex cibo saturis. Omnes spiritum gravem ac frequentem, vocem gemibundam expedivere. Urina colore tincta leviter, consistentia crassior, levamento ambigua, (nulla enim erat naturae regula propter veneni impetum) caetera pro naturali. Pulsus, si quis praetentet, concitatior, frequentior. Haec certa morbi indicia erant. Quamobrem quibus sive his notis sive mitioribus, sive asperiorihus profluxit sudor (profluxit autem plurimis) id evenisse censeo non ratione morbi, sed aetatis, vestium, metus, vini, cibi, affectus animi, exercitii, temporis, (etenim vigebat maxime sub ardente sirio, ardoribus jam omnia obsidentibus) aut certe ratione differentis vel levis causae. Nam quibus remissior fuerat aëris pestis, et ex corpore minor occasio, ipsa quoque temperatior noxa erat, et nihil amplius quam corpus levi calore sudoreque blando tentabat.

Postquam ita explicaverim insatiabilem morbi crudelitatem, contagionem, originem, nomen, naturam, et affectionem, sequitur investigem, principio cur diarius hic morbus sit: Dein ex quibus causis sit prognatus: Tertio, cur Britannis pene solis tantopere sit infestus. Primi rationem monstrat veneni natura et analogia. Secundi, loci situs et coeli ratio. Tertii, ingenium incolarum et convenientia virus. Etenim vis illius venenatae, quae ex putredine inficit, et contagiosa dicitur, duo sunt genera: alterum subtilius atque acrius, alterum crassius atque lenius, pro natura rei putrescentis. Quum enim ab externo calore humidum rei putrescentis, dissoluta jam mistione, attenuatur atque in spiritum vertitur, ut

plus minusve calida res ea est, tenuis aut crassa, ita vis contagiosa spiritu propagata et vapore, qualitate respondet. Ad excipienda haec, duae etiam tanquam certae sedes sunt, humores et spiritus. Spiritus voco, vapores quosdam sanguinis puros, lucidos, subtiles, aëreos, calidos, et humidos. Primum genus ratione suae analogiae vitiosos spiritus magis respicit: alterum cum impuris humoribus potius convenit. Quamobrem hoc pestem creat, illud Ephemeram hanc, cum caetera secunda respondeant, facit. Porro humores lignis humidis similes, diu ignem in peste ad dies quatuor, septem, novem, undecim, et quatuordecim subinde retinent. Spiritus stuppae et stramento similes, flammam acceptam prae alimenti inopia, in hac Ephemera eodem die deponunt. Exemplo est Galeni Ephemera ad Glauconem philosophum, quae quod ex spiritibus nata est, eodem die coepta finitaque est. Ad rei etiam fidem accedunt, quod subito concipiebatur contagio [3]) quod anhelitu (emissi enim anhelitus et reducti, modo afflant impurum aëra modo revocant) quod multos una corripuit, quod cito penetravit, quod penitus descendit atque ad intima pervasit, quod abscessum non fecit, quod paucis horis interemit. Haec omnia et aërem et subtilem fuisse contagionem, atque ad spiritus analogiam habuisse indicant, ut non addam morbi affectiones, quae ea potissimum loca infestabant, quae spiritibus creandis sedes deputatae sunt: ut cor, jecur, atque cerebrum, quod his tanquam jugibus fontibus, quam aliis partibus uberior erat ad contagionem excipiendam materia. Quibus stomachus accessit et ob hanc causam et ob consensum male affectus.

Ita dixi cur diarius hic morbus sit. Jam ex quibus causis agentibus pronascatur, consequenter sum dicturus. Sed cum causas contagionum προκαταρκτικὰς, naturae rerum distinguunt, non erit alienum, eas primum in genera dividere, tum universitate sua ita explicare atque exemplis commonstrare, ut operosum non fuerit ad privatas causas sine offensa, cum opus sit, descendere. Dividuntur autem in tria genera: Omnis enim incidens contagio aut est ratione temporis praeter naturam constituti, aut natura loci male affecti, aut iis quae loco accidunt. Ratione temporis praeter naturam constituti, ut si ver frigidum et siccum, aestas calida et humida (aptissimum tempus sudoribus ex febre, uti censuit ille medicinae pater Hippocrates) autumnus calidus et humidus, hiems calida et sicca sit.

---

3) i. e. recentiorum miasma. — G. —

His accedunt commercia spiritalia, inclinatioque ex astris, quae in rebus humanis multum possunt, ut et hi qui syderum sequuntur disciplinam contendunt, et Galenus illo suo libro quem *περὶ τοῦ Ἱπποκράτους διαίτης ἐπὶ τῶν ὀξέων νοσημάτων* inscripsit, inter caetera luculentissime docet. Natura loci malo affecti, vel quod frequentes et graves expirat nebulas, impurosque reddit vapores [14]), vel quod corruptos exhalat spiritus. A spiritibus enim corruptis e terra eductis halitu, aërem aliquando infici, vel ex ea peste exitiosa scire licet, quae, cum Troja obsideretur, primum canes, dein mulos, ultimo Graecos ipsos male affecit. Sed hi soli sublati sunt. Vi erumpunt spiritus terrae motibus violenter impulsi, solo inclusi, et mora corrupti, quamobrem etiam hos aërem inficere est necessum. Quod ex Venetis discere est, quos nefaria pestis ex terrae motu afflixit anno primo Andreae Danduli Ducis Veneti. Erat ille motus ad octavum Calendas Februarii, anno salutis nostrae 1343 hora diei 20. Continuant enim Itali, maxime Veneti atque Patavini, horarum suarum supputationem ad numerum quartum et vicesimum. Nec diversa ratione inficit aër ille inclusus et corruptus, qui e subterraneis frumenti repositoriis, ex longo temporis intervallo reseratis emigrat, non sine peste et calamitate reserantium, nisi id caute agant, uti et ii qui ea loca habitant testantur, et re ipsa jam saepius comprobatum est. Hoc genus alia, Italiam peragranti mihi ostenderunt Pisauri, carissimi amici Eusebius et Antonius Gradarius, fratres, Pisaurenses: alter medicinae, alter juris doctissimus: alia in veteri Roma Gasparus Hoierus Germanus juris consultus Romae non vulgaris. Huc referri potest causa pestilentiae ortae primum in Seleucia Babyloniae, deinde in Graeciam, tandem Romam usque ventis promotae. Nam at aërem arca Avidii Cassii aurea inclusum, operaque militum M. Antonii, qui cupiditate lucelli arcam prius ab Aegyptiis conclusam recluserunt, erumpentem, Ammianus Marcellinus causam refert [15]). Atque haec quidem ex spiritibus vi solis exhalantibus libertate donatis, et vi erumpentibus,

---

14) Hanc aëris anglici constitutionem accusare prae ceteris videtur Rich. Morton (Pyretolog. P. I. Append. p. 415.). Febrem enim continentem dicit esse endemiam in locis maritimis, palustribus, nemorosis, eamque fieri epidemiam sub autumno et in castris, si quando fuerit corpus externis injuriis obnoxium. — G. —

15) [Confer. F. I. C. Heckeri commentationem de peste Antoniniana, Berol. 1835, relationemque de isto libello criticam, quam Rosenbaum conscripsit (in: Allg. Hall. Literat.-Zeit. 1836. No. 45 et 46.) — H. —]

contagio est. Jam venio ad contagionem ex vaporibus: Hi duplices sunt, tenues et crassi. Tenues voco, qui e profundis locis et penitioribus terrae sinubus ducente quodam spiritu promanant, ut sunt qui ex Averno Campaniae, et Soracte aves transvolantes enecant [16]); aut Barathris Charoneis, Arcadicis aliisque profundis specubus qui circa Sardeis sunt et Hierapolin. Ut sunt praeterea Puteolani specus halitus, qui et canes objectos interficiunt, et hominibus mortiferi sunt, non aliter atque ex Sinuessano agro letalia spiracula. Aeque et in multis aliis orbis locis atque regionibus, e depressis puteis sulphurantia, aut aluminosa occurrentia, putearios necant [17]). Idem fit ex antiquis metallis olim destitutis si altius descenderint, et solum vel natura vitiosum fuerit, vel corruptum per injuriam. In quosdam specus, qui despexere, moriuntur. Sunt apud nos in partibus Britanniae septentrionalibus fodinae quaedam carbonariae, quarum insalubris spiritus atque vapor conductis operis tam gravis est, ut eas nulla mora interficeret, nisi ex indicio ardentis lucernae (cujus flamma tum ante paulo et livescit et consumitur, quam is adventat) se statim subducerent. Sunt autem fodinae illae bituminosae. Indicio est lapis quidam niger, durus, squamosus, et bituminosus, quem ad ignis usum et materiem inde accipimus. Eum Plinius obsidianum, nostri carbonem ex mari, ex Novocastro, et fabrarium vocant, ab usu, loco, et vectura, quod ad caeteras Angliae partes in navi vehitur, et fabris ferrariis ad ferrum molliendum, fingendaque ferramenta accommodatior sit, et locis Novocastro (celebri Angliae urbi) vicinis effoditur.

Crassi vapores sunt, quos nebulas et caligines vocare solemus, foetore graves. Eae, ut apud nos frequentes sunt, ita hujus febris diariae et pestiferae habitae causa fuere, uti paulo post dicemus. Neque mirum est has e solo eductas, soli referre vitia, cum nulla res sit, quae non ejus a quo nascitur notas reddit. Pabuli sapor apparet in lacte, et vini vis existit in aceto, in melle quoque sensus herbae est. Post naturam loci, ultimo in loco sequuntur ea quae loco accidunt. Ea sunt, quae aut sublime aut humi, in summa terra aut non ita alte recondita putrescunt. Inde enim virosus foedusque odor oritur, aërque inficitur. Exemplo sunt Aethiopes

16) Ita Seneca natural. quaest. II. 10 et Plin. hist. nat. II. 93. et Virgil. Aeneid. VI. v. 201. — G. —

17) Plin. hist. nat. XXXI. 3. et Senec. quaest. natur. III. 21. — G. —

qui Atheniensi bello fusi projectique sunt: et locustae, primo quae oris maritimis Africae mortuae sunt, ex quarum gravi contagione interfecti sunt non homines solum, sed pecudes atque aves etiam, anno ante Christi adventum 123 anno 4. Olymp. 163 M. Plancio Isaeo, et M. Fulvo Flacco Coss. [18]). Tum, quae ventis ex Gallia (quam ante per aestatem vastaverant) delatae, et in itinere maris undis summersae, crebro fluctu aestuque in littora Britannica jactae sunt, non sine dira fame et gravi peste Britannorum, quo tempore regebat Anglos Ethelredus Rex, et Romae praesidebat Nicolaus primus, juxta Sabellicum: Sed ex supputatione Christiani Massei anno a Christo nato 374, et anno primo Joannis octavi, Rom. Episcopi, regnante per id tempus in Anglia Alvredo Rege. Est autem locusta ex insectorum genere, pollicari magnitudine, colore fusco, senis alis membranosis (utrinque ternis hoc est;) senis item cruribus, sed posterioribus mediis longioribus, ad gubernaculorum effigiem conditis, quibus reflexis saliunt pulicum more, dentibus duobus exertis, caetero magnae cicadae similis, nisi quod caput ejus equinum (ni memoria fallor) imitatur. Unde Italis non temere dicuntur patria lingua ex argumento, cavalleti: apud quos anno 1542 (si bene memini) infinitum vastumqne agmen vidi transvolare civitatem Patavinam. Saltat humi crurum posteriorum reflexa (ut dixi) longitudine, volat sublime alarum confidentia [19]). Aeque et post diluvia in summa terra putrefactio est. Id monstrat gravissima pestis illa maritimis Achaiae, Libyae, et Romae locis, ex subitis maris inundationibus, Imperatore Gallieno [20]): Id funesta etiam illa quae Pelagium de vita sustulit, anno Pontificatus sui undecimo [21]).

---

18) Livius epit. lib. LX. Iul. Obsequens de prodigiis (Arg. 1514. p. 29.) Orosius, Hist. V. 11. — G. —

19) At vero locustarum interitus ad sudorem anglicum provocandum nihil omnino aluit. — G. —

20) [Conf. Haeser, Lehrb. der Gesch. der Med. p. 80. et 251. — H. —]

21) Haec eadem sub ingressu morbi gallici ex Blondo repetiit et novo morbo accommodavit Nic. Leonicenus (in librum de epidemia, quam Itali morbum gallicum vocant ad illustr. vir. Jo. Franciscum Mirandulensem concordie comitem; s. l. et a. sine literis initialibus ac graecis, quam editionem principem censeo et in alia hinc exscripta Mediol. 1497, tandem in tertia: Libellus de epidimia, quam vulgo morbum gallicum vocant, Venet. ap. Ald. 1498.). Etiam in Anglia praecesserant tales fluminum exundationes et hinc probabilis esset miasmatis et luis nascendae conjectura. Teste Rapino Thoyras (Hist. d'Angleterre

Etenim subsidentibus jam undis quas convenae prius aquae fecerant, atque in sinus suos se undique receptantibus, quae prius expatiatae sunt latius per universam Italiam ex caeteris ejus loci fluminibus, sed praecipue Tiberino amne, qui eo altitudinis ascendit, ut multis in locis muris urbis Romae par esset: omnia lutulenta, omnia corrupta conspiciebantur, pisces, quadrupedes, herbae, frutices, et quidquid per terram humile et sparsum fuit. Ita contagio fit ex ils quae in summa terra putrescunt. Succedit quae ex iis oritur, quae non ita alte recondita putrescunt. Quorum exempla esse possunt humana corpora bello caesa, cum non nisi paulo infra supremam terrae faciem sepulta sunt. Ea et notius est contagionem aëri inferre, quam ut opus sit exemplo, et vulgatum magis quam ut opus sit exemplo, et vulgatum magis quam ut ambitu longiore verborum circumduci oporteat; et iis qui Bononiae [22]), Galliae Belgicae, anno 1545 habitabant, post annum hoc est quam ea expugnata est a Rege Britanniae Henrico ejus nominis octavo, magno suo malo re ipsa compertum. Haec omnia contagionem afferre posse, usu atque ratione (ut antea comprehensum est) cognitum et compertum est, varioque modo pro natura et analogia virus laedere et inficere. Itaque ab universis ad privatas hujus mali causas jam deveniam, et ex illis istas eruam, de quibus ita censeo: esse apud

---

T. IV. p. 355. 356. ed. sec.) a. 1483 Sabrina immense inundata ad Salopiam fuit et per sex dies Henrici trajectum in Walliam impedivit. — G. —

22) Erasmus (Epist. Lib. V. p. 232) dic. Boloniam; A. Turnebus (Advers. T. I. lib. VIII. 21. p. 158. b.) portum Gessoriacum, alii (Hist. belg. Francof. 1583 p. 15. b. et p. 69. a.) Gessoriacum, in margine Bononiam Belgicam p. 61. b. Morinorum Bononiam. Historiam obsidionis et deditionis vid. in Rer. angl. Henric. VIII., Eduard. VI. et Maria regnant. Annal. p. 263 et 272. Etiam Larrey (Hist. d' Anglet. T. I. p. 510. seq. et p. 524) meminit pestis qua multi ex praesidiariis perierunt, sed sine additione causae et formae, et Rapin Thoyras (l. c. T. V. lib. XV. p. 444) tantum affert, exercitum Anglorum peste nimis esse diminutum, ignorata vel dubia mali specie. Anno demum 1558 Elisabetha cum Henrico ipsa (Nic. Burgundi, Hist. belg. ab a. 1558. Ingolst. 1629 L. I. p. 14. 16.) „per legatos de Caleto urbe in Gallico litore posita, quam multis aetatibus Angli insederant, transegit, ut in annis octo Gallis cederet, restituerent deinde, vel quinquaginta aureorum millia penderent." — G. —

[Vix dubium est, recte Heckerum (D. engl. Schweiss. p. 175) huncce Anglorum Boloniam (Boulogne) obsidentium morbum pro ea specie Typhi petechialis habere, quae tunc temporis Galliam imprimis meridionalem devastavit. Similes clades Germanorum quoque exercitus tunc temporis in Saxonia experti sunt. Conf. Haeser, Hist.-pathol. Untersuchungen. II. p. 21. — H. —]

nos multas soli caecas cavernas et occultos terrae sinus; esse quoque multa loca uliginosa, quae in humili soli regione vel accola rivus, vel circumfluum mare irrumpens, vel per cuniculos subiens fecit. Ex cavernis et sinubus nonnunquam, aqua nec opinantibus fossoribus subito erumpit, adeo nigra et foedo odore, ut eos in fugam compellat; nonnunquam, spiritus, ut ante exemplo fodinarum carbonariarum indicavimus, ex uliginosis et resolutis locis, caligines exhalant. Nonnunquam etiam ex alto solo, si id vitiosum est, aut si aqua, quae in eo est corrupta, in spiritus et vapores vertatur; aut si vitium, quod id concepit corruptum per injuriam, respiret. Haec certis annorum (quos ante dixi) siderumque constitutionibus (permagni enim est momenti ratio atque inclinatio temporum) certis stellarum accessionibus et propinquitatibus, magis trahuntur et commoventur. Quod dum fit, si acrius sit quod redditur, sudor hic pestifer nascitur. Quod si quando eveniat, ut pro coeli solique varietate causae variaverint, per tria haec causarum genera jam ante explicata animum ducito, et quaenam ex his sit auctor mali contemplator; qua cognita et inventa, quod morbi natura unius modi semper suis, suique similis est, similis erit et veneni ratio, et medendi via: observato quod res, quae in nobis virus excipit, et persona, aliquid sibi vendicant, ut dicemus in sequentibus. Sed dixi densas quasdam nebulas, putidas et graveolentes caligines ex agro Salopiensi, coeli solique ratione ortas, et ventis delatas spatio per omnem Angliam in causa fuisse hujus Ephemerae. Id (si certior esse velis) ex ipsa re visu atque odoratu facile erat discere, et ex eventu non dubie comprehendere, si quis omnia seorsum velit ad calculos revocare. Nam a primo suo ortu et foetor gravis malum prodebat, et visus est veluti nimbus de loco in locum [23]) gubernantibus ventis se promovere, et nimbi vestigia pestem hanc secutam esse observatum est, donec spatio rarefacto nimbo, atque in circumfuso aëre posita contagione, per continuas aëris partes contagionem accipientes et reddentes, nobis imprudentibus clam irrepsit morbus. His accessit, quod virus id vires acquisivit eundo pro cujusque loci natura et accidentibus. Etenim multis in locis causae

23) Sic teste Tyengio (P. Forest. Observ. med. Lib. VI. obs. 7. Schol. Obs. 8. c. Schol.) sudorem anglicum antecessit nebula crassa et foetida, cum Amstelodamum a. 1529. d. 27. Sept. attingeret. — G. — [Conf. Hecker, D. e. Schw. p. 109. — H. —]

particulares, quas συναίτια Graeci, causas contingentes incidentesque Latini Medici vocant, propter aedificia habitata accidentes, aërem inquinando malum auxerunt. Ut sunt aquae pigrae et non fluentes, teter virosusque odor buxi, foetentia sterquilinia, immundi canales, foedae cloacae, impurae et male olentes latrinae purgamentis alvi deputatae, putida animalium corpora projecta, putridaque legumina aut olera, culinae excrementa, aedium sordes, scirporum putor atque canum, conclusus aër, flatus austrinus, et id genus alia infinita.

Posse autem haec aërem vitiare et usus docet, et ex hoc scire locet, quod Acrothon oppidum (quia remotum est ab infestis hisce flatibus, imbribus, terrenis sordibus atque inquinamentis, ut in summo Atho positum) incolentium aetas dimidio longior propagetur quam in caeteris terris [21]).

Atque haec de causis contagionis. Venio ad tertium illud quod ante proposueram, nempe quamobrem Britannos nostros pene solos, supra quam alias gentes atque nationes, malum hoc tantopere fatigat. Nam morbus hic ut neque omnium temporum est, neque aetatum, ita nec locorum. Etenim animadverto nec alienam regionem nos tutos facere (ne si ad Locros credo, atque Crotonem, loca saluberrima et nunquam peste tentata concederemus) nec nostram advenas [25]) omnino laedere. Siquidem et apud vicinos Caletes, Morinos [26]), caeterosque his junctos Belgas, nostros solos morbus insularis corrupit, et apud nos per ea tempora in legatione Gallos [27]) omnino non affecit. Ut hic non addam Scotos, communis insulae ratione nobis junctos, a contactu mali immunes plane exstitisse. Hujus rei causam quidam ad vinum nostrum hordeaceum, potum nobis naturalem, quod Galli cervisiam, nostri Alam et Beram vocant, referunt [28]). Sed id ut facerent, non materia suggessit, sed

---

24) Hinc a Plinio (Hist. nat. IV. 17) et a Seneca (de ira III. 20) ejus incolae macrobii cognominantur. — G. —

25) Idem habet consignatum anonymus Anglus ad a. 1551 (Rer. angl. annal. p. 331.) et Rapin Thoyras (Hist. d'Anglet. p. 387.) — G. —

26) [Morini sunt Flandri. — H. —]

27) [Quid falsi insit huic opinioni de priva Anglorum inclinatione in sudorem anglicum, jam exposuit Grunerus alio loco (Itinerar. sud. angl. p. 14.). — H. —]

28) [Primus omnium Erasmus (Epist. lib. XXII. p. 822. Tom. III. opp.) hanc conjecturam improbabilem fecit, quam deinde plures temere repetierunt. — H. —]

error. Nam et Scoti et vicini Belgae id genus vini bibunt, non tamen in illos contagio valebat. Imo novi quendam Italum, sed vivendi ratione et consuetudine factum Britannum, hoc morbo laborasse, qui praeter puram aquam nihil per omnem vitam bibit; et quosdam etiam qui solo vino usi sunt: ut omittam *οἰνοπότας* Germanos hoc morbo semel populatim afflictos. Quod si nostris vinum hordeaceum in causa esset, expendamus quid hordeum, quid aqua in Ala, quid cum his lupus salictarius in Bera praestare possunt. Certe gravis auctor Galenus, rei medicae scientia atque usu longe clarissmus, in libris de attenuante victus ratione, de ptisana, quarto in librum Hippocratis de ratione victus in morbis acutis commentario, ubi de zytho mentio est, et primo de facultatibus alimentorum, censet hordeum frigidum et siccum esse, et quocunque modo praeparetur, frigiditatem aegre, siccitatem nunquam deponere: alere mediocriter, refrigerare, tenuem et abstergentem succum in nobis gignere, eoque attenuare, detergere, urinam ciere, flatum (unicum ejus vitium) coctione amittere. Has facultates et virtutes cum habeat hordeum, variis gentibus atque nationibus sapienter excogitatum est, ut addita aqua, qua hordeum madescat donec resolveretur in liquorem vino similem, ad potionum usus accommodaretur, quod sitis frigidi appetitus sit. Hunc liquorem alii *οἶνον κρίθινον* sive *ἐκ κριθέων* nominant, ut Athenaeus [29]) libro primo, et Herodotus secundo: alii *ποτὸν κρίθινον*, ut Hippocrates [30]): alii zythum [31]), ut Aegyptii: alii *φοκάδα*, ut Sethi: alii *φοκαλίον*, ut vulgares Graeci: alii *πινὸν*, ut Aristoteles: alii *βρυτὸν*, ut Theophrastus, Aeschylus, Sophocles: alii cervisiam, ut Galli: alii ceriam, ut Hispani [32]).

---

29) Deipnosoph. L. I. p. 34. ed. Casaub. idque vinum ex hordeo esse pro vino succedaneo statuit, et Aristoteles ib. hunc potum censuit *καρώτικον*. — G. —

30) De vict. rat. acutor. morb. n. 8. p. 275 T. II. ed. Lind. habet „totam ptisanam“ i. e. non colatam et cremorem ptisanae, ptisanam hordaceam et *ποτὸν κρίθινον*, de quo vid. Galen. Comment. I. in h. l. N. 26 p. 604. et Comm. II. N. 42. p. 640 Tom. VI. Dubium est an sub hoc intelligatur cerevisia. — G. —

31) Aetius, Tetrabibl. I. Serm. I. p. 26. Paull. de re med. VII. p. 621. Collect. Steph. Cf. Polyd. Vergil. de ver. inventor. III. 3. et I. C. Scaliger de subtit. exerc. 87. p. 321. Apud Suidam voc. *ζύθος* expl. *οἶνος ἀπὸ κριθῆς γινόμενος*. Columell. (de cult. hort. X. p. 183 ed Ald.) mem. „pelusiaci pocula zythi.“ — G. —

32) Multus est hoc loco Grunerus; nos vero ne in idem incidamus vitium, refugiamus ad ea, quae ipse Grunerus attulit de hac re (Zosimi Panopolitani

Nobis alia οἴνου κριθίνου genera sunt, quae quod nulla nomina apud Graecos aut Latinos his respondeant, Alam et Beram vocitabimus, patriis quidem nominibus scio, sed an ex alica (cum sit ex hordeo) et ceria deductis, ut nonnulli scribunt, nescio. Id mihi licere bona venia doctorum omnium spero, qua ratione suae cuique nationi, ut Aegypto, Galliae, et Hispaniae, permissa sunt sua potionum nomina et patria vocabula, ut zythi, cervisiae, atque ceriae [33]), cum tamen ex Graecis aut Latinis non sunt haec desumpta nomina, sed his accepta aliunde ex suis, quos ante dixi, locis. Nec quisquam mihi vitio vertat, quod mallem propria et cognata, quam usurpata et aliena: maxime cum nec sapore, nec efficientia, imo neque compositione consentiant. Nam zythum acre est, quod dum fit rancescit putrescitque, eoque paulum a sapore vini differt, ut Diodorus [34]) Siculus auctor est: Ala et Bera suaves sunt, quod ad hordeum attinet. Id addo, quod Bera ex lupulo amarorem contrahit. Zythum renes et nervos tentat, cerebri membranas afficit, inflationem parit, vitiosum succum creat, et elephantiasin (ἐπιχώριον Aegyptiorum malum) gignit: ut et curmi capitis dolorem movet, malum succum gignit, et nervis nocet: Ala et Bera non item, nisi si dixeris quod caput tentat. At id non Ala et Bera faciunt, sed immoderatio et intemperantia, citius tamen et potentius propter lupulum, et in tanto usu Alae et Berae, id licet verissime dicere, elephantiasin rarissimum esse apud nos morbum. Jam vero quemadmodum conficiatur zythum atque curmi, jam ante paucis delibavimus; quemadmodum autem Ala atque Bera, nunc dicemus, ut vel hinc constet, quemadmodum haec inter se distent. Hordeum aqua perfunditur, atque ad aliquot dies maceratur, donec intumescat, et altero suo fine fatiscat germinetque. Tum emissa omni aqua per cisternae fundum, ut inutili, eximitur hordeum. Id per solum tenuiter spar-

---

fragmentum περὶ ζύθων ποιήσεως. Ienae 1802 et 1803. Prolusio I. — XI. Hoc ipsum fragmentum valde auctum publice denuo edere statuerat Gruner us, sicut probat nota, quam hoc ipso loco adjectam invenimus. Tamen num revera prodierit liber, non liquet. Exstant praeterea libelli nonnulli Gruneri, etsi rarissimi de hac re; ex. gr. Comment. de camo zythi sive cerevisiae veteris ad Digestorum locum dubium. Ien. 1805. — De primae fecis origine prolus. acad. 1. et 2. Ien. 1805. — H. —

33) Haec potus genera sunt originis celticae, ergo et nomina rei singula. — G. —

34) Bibl. hist. ed. Wessel. I. p. 31. — G. —

gitur, et bis die vertitur, ita et omnis humor elabitur, nec acervo putredo concipitur, nec mucorem hordeum contrahit; posito jam omni humore (quod paucis fit diebus) paratur concameratus fornax (bunarium dici potest, qua ratione et analogia dicimus calcarium et sulphurarium, pro locis ubi calx et sulphur coquuntur) qui ignem admittit, sed non reddit nisi qua recipit. Spiramenta tamen quaedam undique per sua latera ita habet certis intervallis disposita, ut ad superiora calor facile possit commeare. Fornax ille ut est rotundus, ita pariete in quadratum extructo undique, et duos pedes altiori quam est fornax, cingitur. Per ejus ambitum tenduntur crates ligneae et super eas cilicium. Id hordeum tenuiter sparsum, quo calor per spiramenta erumpens ad singula grana pertingat, accipit. Istis rite peractis, in fornace focus lentus et aequalis incenditur, et donec ad plenum siccatum fuerit hordeum, perennis alitur. Interea hordeum saepius die vertitur, quo aequabiliter siccetur. Cum siccatum probe fuerit, durum est et gustui dulce. Tum seponitur in tabulatis ad usus necessarios, et Aëtio βύνη[35]), nostris patria lingua Maltum dicitur. Cum usus vocat, mola teritur, et in tinam grandem mittitur, illi aqua ferventissima, quae aliquot ante horas in cortina seorsum ebullierit, affunditur. Modus utrisque est pro potestate futuri vini. Nam si potentius placet, plus de buna; sin tenuius, plus de aqua quam pro justo alioqui utriusque modo admiscendum est. In ea aqua ferventissima madescit horas tres aut quatuor: ubi omnis ejus vis in aquam transfusa est, aperitur foramen quoddam in tinae fundo, circumvallatum clathro colatorio, seu secerniculo vimineo, ne buna fresa, inanesque scapi quibus ea vestiebatur (inutiles nisi jumentis alendis) una cum liquore elabantur, aut foramen repleant, et liquori exitum praepediant. Ita qua viam repperit, humor dulcis fluit, colore rutilo. Exceptus ille liquor in aliam tinam inanem funditur, atque ad dimidias coquitur. Interim omnis spuma tollitur et abjicitur. Dein in vasa quaedam lignea, quae minus fundi sed plus lati habeant, ex cortina refunditur, refrigerii causa. Ante tamen quam omnem posuit calorem superestque modicus, ex iis vasis latis in aliam tinam et eam inanem delabitur, confunditur grota, adjicitur alterius compositionis recens alae flos, perturbantur, et magna agitatione con-

35) [Male in textu βανὴ pro βύνη. Nec minus male Heckerus βανὴ commutavit in βοννὴ. — H. —]

quassantur omnia et commiscentur. Quo fit, ut vinum id aërea levitate floris in duplum rarescat et virtute grotae se excellenter purget. Est autem grota apozema ex bunae fresae crassamento (unde nomen habet) et liquore jam ante e buna, aqua fervente perfusa, defluente, ad spissitudinem excoctis. Dulcedinem id habet defruti et animam praebet Alae. Ita ad horas 24, cum in motu naturali Ala fuerit, agitante calore, potentia bunae, et vi floris atque grotae, in cupas, seu cados ligneos circulis cinctos, antequam faex residat, refunditur, et in cellis vinariis subterraneis (quod frigore melius conservatur) reconditur; sed sapore jam suavi, non ut ante, dulci: ita libet cum Macrobio inter haec distinguere. In iis cupis apertis ubi aliquamdiu quieverit, secretio partium fit, ut in vino ampelite, et faexima, flos summa petit, innatatque ut spuma, et superfluit, Ala in medio pura consistit. Quod superfluit, vase excipitur, et ad compositiones alae similes, atque ad conciliandam panibus levitatem, ciborumque apparatum accommodatur. Quod spumae a motu superest, incumbitque Alae jam quietae, id eam conservando est, dum ab externis injuriis defendit, et innatam vim atque animam continet. Indicio est, quod cui detractus flos ille est, statim emoritur et vapescit: contra, illo superstite, ni aestas oberit, ad extremum senium (quod tempus est alii menstruum, alii bimestre, alii trimestre, alii annuum, prout plus minusve excoquatur) perdurat sapida. Rursum si florem addas cui prius demptus fuit, videtur ea reviviscere, et novas vires acquirere. Cupae statim ut infunditur Ala, ideo non obturantur, quod nondum sedatus motus est, quodque alioquin iniquo loco rarescente Ala, cupae rumperentur. Ita Ala fit. Bera eisdem fere modis componitur, nisi quod lupus salictarius cum primo bunae liquore sine grota decoquitur. Quod si quis paulum tritici et ejus crudi, potentiae colorisque gratia (quod fere fit) admiscet, id praeter legitimum necessariumque conficiendi modum est nostrae Alae atque Berae, et commendandi causa adhibitum; etsi non sum nescius et olim apud Iberos qui Occidentem spectant et Britannos priscae aetatis, referente Dioscoride [36]), ex tritico fuisse potum Zytho et curmiti [37]) similem, et nunc quoque apud Germanos esse, sed ab hoc longe diversum; ut et apud Pictos (qui inter Anglos et Scotos medium locum tenebant)

36) De mat. med. II. 109. p. 125. ed. Sarac. — G. —

37) Leg. „curmi.“ Est enim vox indeclinabilis. — G. —

ex ador seu adoreo. Id frumenti genus patria sua lingua hadder [38]) nominabant. Quamquam Scotorum historiae ad ericae (quam etiam hadder iidem vocant) florem atque comam (laetum pecoribus atque apibus per vasta et inculta loca pabulum) id genus potus referunt. Sed utraque illa potionum genera (Britannorum dico et Pictonum) obsoleta jam sunt, ita ut quemadmodum conficiantur, nulla memoria supersit. Haec eo pertinent, ut si nec gustu, nec efficientia, nec compositione concordant, Ala, Bera, Zythum et Curmi, cur Zythum Beram, Curmi Cervisiam seu Alam dicerem? Cur Zythum ex hordeo et lupulo potum (uti quidam) definirem, cum ex hordeo tantum, et eo crudo madescente in aqua sine lupulo [39]) confectum id sit? Cur cum aliis dicerem, curmi cervisiam seu Alam esse, aut illi respondere, cum facultates eaedem non sint, nec vitia respondeant et virtutes nec conficiendi ratio conveniat? Quod si quis novitate vocabulorum Alae et Berae offendatur, putetque quod ex Cerere fit (ut est Ala et Bera) cervisiam posse nominari, sciatis et vetera esse apud nos haec nomina et Zythum, Curmi, Ceriam et quicquid ex fruge fit, eadem opera posse dici Cervisiam generis nomine. Itaque nullum fore vocum et specierum, nullum sensus atque rerum discrimen, nullum significationis indicium, cum tamen vocabula debeant esse sensus interpretes et rerum nuntii ut recte scripsit Cicero. Tamen si cui rebus istis propria nomina Latina aut Graeca nota sint, prodat illa, et ego ille de nominibus gratias agam, illi mihi de rebus, quas ita explicaverim, ut privata nomina aptius accommodari possint. Haec non eo dico ut certem cum quoquam, aut cum doctis viris contendam, sed rem ipsam ut est aperirem. Id eo rectius fortasse possum, quod id non ex aliena fide aut sermonibus accepi, sed visu comperi. Istae igitur potiones nostrae cum nec ad eos morbos efficiendos qui ante comprehensi sunt, quid habeant incommodi, ac praeterea salutares sint, uti obiter ex Galeni verbis et contrariis rationibus (quorum paria sunt momenta) elicuimus, videamus an ad sudorem hunc pestiferum concitandum (cujus causa de his sermonem instituimus) aliquid afferant causae aut momenti. Certe qui vires singulorum quae Ala et Bera acci-

38) Cf. M. Z. Boxhorn. Antiq. ling. britann. lexicon. Amstel. 1654 p. 690. — G. —

39) [Asserit hoc loco Grunerus, doctissimus sine dubio historiae cerevisiae enucleator, veterum cerevisiam, quantum ex Zosimo colligatur, neque lupulum neque fex continuisse. — H. —]

piunt, ita ut supra propositum est, velit aestimare, et cum morbo hoc componere, is sane bunam refrigerare et siccare, ex Galeni sententia de natura hordei quocunque modo praeparati, lupum salictarium temperate refrigerare ex Ruellii [40]) et Joannis Mesuae testimonio deprehendet. Quorum naturam etiam aqua, quae haec excipit, quaque haec perfussa sunt, sapit. At haec tria quam sint adversa morbo facile is intelliget, qui morbi naturam aestimet, quique morbum hunc calidum et humidum esse jam ante didicit. Verum si bunam nulla ratione frigidam sed contra, calidam ex vi et potentia aestimaveris, quod Ala et Bera corpus calfaciunt, caput tentant, et si potentes hae sint, ignescunt etiam non aliter atque vinum, eumque calorem ab igne interim dum siccabatur, concepisse credas: Ad haec si lupum salictarium calidum et siccum esse contendas, quod gustui amarus est, quod odor illi est vicinus vino allioque mixtis, si manu contrectes aut digitis conteras, ut non magnopere repugnabo, ita ne sic quidem hujus morbi causa esse potuerunt. Nam quae calida sunt et insigniter sicca (ut ad hanc rationem buna) aut calida et sicca in secundo ordine atque gradu (ut ex quorundam sententia lupulus) ea certe putredinem remorari solent, tantum abest ut accelerent. Itaque adversa morbo haec si sint, morbum generare aut promovere eadem qui possunt? Alioqui cur tot retroactis saeculis quibus Alae atque Berae usus apud nostros erat, morbus non invasit? Cur anno a Christo nato 1485, novus et inauditus nostrae nationis hominibus videbatur? Si dixeris per id intervallum, perque ea spatia solum aut coelum causam contagionis non suggessisse; respondeo, mirum id profecto videri, insulam adeo caliginosam nullas per tot ante annos evomuisse nebulas ad eum modum contagiosas, aut ita inter se conspirasse planetas, ut nec coirent, deficerent, nec se mutuo aspicerent, ita ut ex his ad morbum faciendum nulla sit interim occasio aut propensio. Sed demus Trojano, Cantabrico, aut Rhodiensi bello (uti suspicantur quidam) non Britannico solo morbum hunc natum esse. Ergo Graeci, Cantabri et Turcae Alam et Beram bibebant? Id si verum non est, alia quaerenda causa est. Sed quaenam illa? palustres scirpi per aedes apud nos sparsi, conclusa aedificia, aut salsamentorum usus, ut in epistola quadam scripsit Erasmus? minime. Nam ut a salsamentis incipiam, eorum mediocrem usum concedit etiam

40) De nat. stirp. II. 141. p. 456. — G. —

is, quo loco ea letalis sudoris causam esse scribit. Quod si immodicum tantum usum incusat, non magis haec quam caetera cibaria, ubi modum excesserint, valetudinem offendent, atque Ephemeram pestilentem promovebunt. Certe Cornelius Celsus, auctor probus vel infirmo stomacho salsamenta concedit. Et quidni eadem, aqua dulci aut marina probe macerata firmo stomacho (quo omnes fere sunt qui hoc morbo laborant) permittas, si nocivus et abundans humor, qui in recentibus manet, his sale detractus sit, eoque idoneis calfaciendo, attenuando, incidendo, siccando, atque detrahendo iis hominibus, qui humidas frigidasque regiones habitant, quique multa insulsa pituita stomachum atque adeo universum corpus repletum habent, cum tamen caeteris contrarii loci atque habitus, sanguinem inflammare, bilem augere, et stranguriis obesse solent? Nec diversum censuit longe omnibus praestans ingenio Galenus, qui libro de Sanitate tuenda V scribit τὰ ταριχευθέντα τῶν προσφάτων ἀμείνω, hoc est, salita praestare recentibus. Jam vero de scirpis palustribus in conclusis aedibus et parum vento perviis, id censeo; vaporem insalubrem mutato coelo ex his natum, non aliter hanc Ephemeram exuscitare atque febrem illam, qua hujus causae auctor, homo senex, voletudinarius et peregrinus, scribit se laborasse, quoties in eas domus venerat, ubi nemo per aliquot ante menses versatus esset. Exuscitabat autem non ut αἴτιον, sed ut συναίτιον, de quo atque id genus aliis ante proposuimus, cum de συναιτίοις sermo esset. Neque certe tantillus fumus ex se tantam flammam posset excitare, nec privatae domus aura integram regionem inficere, praesertim cum non sit contagiosa; ut non addam multas aedes satis perflabiles, et apertas aëri libero, in quibus juncus nullus erat, sensisse pestem hanc diariam. Haec ita dico, ut non laudem tamen. Quid ergo causabimur, propter quod nostros praeter caeteros letalis sudor tentavit? Vivendine rationem sobriam atque temperantem? Nequaquam. Nam ea sola majores olim nostros ab hujus mali injuria tutabatur, atque junctos nobis Scotos adhuc tutatur, qui jejunia etiamnum referunt patrum suorum, quibus otio, gulae, atque ebrietati dediti homines, tamquam Reipublicae pestes, tanto in odio erant, ut statim curarent eos comprehensos, atque eo quo delectabantur satiatos, quamprimum in profluentem conjici; usque adeo temperantiam in cibis atque potionibus salutem Reipublicae atque hominis cujusque privati et gignere et continere judicabant. Quid ergo eandem illam vivendi rationem

luxuriantem? Ita plane. Nam mensarum profusa luxuries nos certe perdit, corpora corrumpit, atque ad omnes morbos suscipiendos praeparat [41]). Nimium plane delicate ac molliter vivimus, nimia rerum affluentia premimur, nimio ciborum atque potionum luxu diffluimus, quibus multi tanta dulcedine utuntur, ut magna pars non aliud vitae praemium intelligat; tantumque, dum ex potus jugi puteo baucalio bibunt, implentur, quantum satiet desideria praeterita, et in futurum diu posset sufficere, nisi quod vitium hoc ea necessitas comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Majores olim nostri simplici cibo usi sunt, non anserem, non gallinam, non leporem cibi sed animi gratia alebant. Nos contra non animi sed gulae causa, non haec solum, sed infinita alia animalia curiosius saginamus et insectamur. Quasi vero esca ad voluptatem nobis, non ad vitam data esset, et nos non ad honestatem sed luxum facti essemus. Illi Zenonem laudabant, frugi Pisonem, et M. Curium. Nos Epicurum, vel potius Gallonium et Philoxenum. Hos vivimus, illos contemnimus. Nunquam sitientes bibimus, nunquam esurientes edimus, ut de Dario atque Ptolemaeo refert Cicero, sed relicta priori copia, statim repetimus quam reliquimus satietatem; usque adeo nulla est apud nos conviviorum aestimatio naturali usu, sed stulta persuasione et consuetudine. Hinc pestis haec, hinc fundi nostri calamitas. Hinc sane plures tanquam vulnere quodam suo maturius extinguuntur quam suo fato. Hinc quoties pestis ingruit, primis diebus morimur, simili qua caprae ratione. Alia enim pecorum genera, cum pestilentia vexantur primus morbo et languoribus macescunt, solae capellae, quamvis optimae atque hilares, subito concidunt. Id accidere maxime solet ubertate pabuli. Non tamen ad humores referenda mali hujus causa est. Nam dixi acrius hoc venenum humores non respicere; aut si respiciat, pestem facere. Quamobrem solum id superest, ut ad spiritus impuros atque ad contagionem excipiendam aptos, ex pleniori, varia et pejore vivendi ratione secundam causam et eam incidentem, privatae hujus nostrorum molestiae referamus. Nam plena pravaque victus ratio, ut universum sanguinem impurum, ita sanguinis et tenues vapores et subtiles partes impuras facit. At cum spiritus ex impuris illis partibus fiunt et

41) Cf. impr. Car. Claromontius, De aere, locis et aquis terrae Angliae deque morbis Anglorum vernaculis. Lond. 1672. p. 47. — G. — [Plura vid. ap. Heckerum, D. engl. Schweiss, p. 48. seq. — H. —]

aluntur, necessario etiam et iidem impuri sunt. His ubi aëris conveniens accesserit contagio, sive nostro sive alieno loco, jam morbus absolutus est. Conveniunt autem, inter quae similitudo quaedam qualitatis est, ut inter contagionem et corruptos spiritus; et inter quae longa assuetudine facta est firma constansque familiaritas ut inter aërem quem sua quisque regione trahit redditque et spiritus corporis attrahentis. Nam similitudo haec et familiaritas longo usu acta et confirmata, concordiam parit. Hinc est quod quidam Britanni, postquam in Gallia ad annum integrum commorati sunt, necdum ad plenum immutatus corporis habitus est, in patriam reversi, febre hac pestilenti quam mox correpti sunt. Non tamen cum spiritibus corporis diversae regionis aërem attrahentis ita concors aër ille est, quod cum aërem jam infectum, attrahendi, cum purus esset, consuetudine nulla similitudo et confirmata familiaritas facta est per superiorem vitam. Ex quo factum est, quod exteris, qui tum nuper advenerant, molestus non fuit morbus iste. Nec si occasione contagionis quae cum spiritibus corporis conveniret, aliqua ex parte a sua natura degeneravit aër, statim efficitur ut non supersit tamen etiam a sua natura similitudo quaedam, quae augeat mali necessitatem in corpore illi assueto et concordi. Quae naturae aëris similitudo, quod iis qui illi non assuerunt, desit, ii una aegrotandi necessitatis parte propter eam quam ante dixi causam destituti sunt. Contra, ea similitudo et convenientia cum sit, aër nativi sui cujusque soli suos et domi et foris agnoscit spiritus. Quo fit ut idem infectus, similitudine suae naturae, et recipientis consuetudine se insinuet blandius, imponat facilius, et virus spargat liberalius; ita tamen, si cum eo consenserint impuri (ut ante dixi) spiritus. Itaque nihil mirum videri debet, si in Britannia Anglos contagio affecit, salvis (ut ante retuli) Scotis atque Gallis: Et ad Belgas producta nostros vexavit intactis Belgis [42]); non magis quam si ex pede dolor inguen afficiat, genu interposito nullius

42) [In his magnopere errat Cajus. In Belgia enim non Anglos tantum ibi commorantes, sed cujusvis gentis homines affecit lues sudatoria. Similis est error de priva et ut ita dicamus exclusiva Anglorum in ipsa Anglia ad morbum inclinatione. Scotia quidem et Ibernia non sunt affectae, nec tamen ut videtur propter obscuram tantum illam morbi erga naturam ipsorum benevolentiam, sed aliis id efficientibus causis, de quibus nos „ne hariolari quidem quidquam valemus.“ Galliam vero tunc temporis sudoris anglici loco obsedit typhus petechialis (Conf. Hecker, D. engl. Schweiss p. 64. seq.) — H. —]

doloris sensu affecto; nimirum propter naturae inter se suae convenientiam, quae ἀναλογία, patiendique similitudinem, quae Graecis hominibus συμπαθεία nominatur. Impuros autem illos spiritus, ex sanguine plenioris, pravi, variique cibi oriri diximus. Qua vivendi ratione quod multi, et ex omnibus nationibus fere soli sunt Britanni (his enim plena variaque mensa jam diu grata fuit, et nunc est gratissima) etiam plus caeteris, et pene soli hoc morbo tentantur. Indicio est annus hic pestifer, qui exteris infestus non fuit, atque ex nostris nullos aeque pressit aut absumpsit, atque bene saginatos, otio et quieti per superiorem vitam deditos, aetate juvenes firmos et consistentes, aut non ita multo infra supraque hanc, constitutione corporis calidos et humidos, texturaque corporis raros, sive ex nobilitate illi fuerant sive ex plebe. Nam miseram illam et jejunam plebeculam belli pacisque laboribus duratam, aut omnino non attigit, aut sine gravi noxa vel periculo. Quae res admirationi forsan esse poterit, aliqua gigni repente vitia terrarum certis aetatibus aut etiam fortunis, tanquam malo eligente haec in juvenibus grassari, non in adultis, haec proceres sentire et divites, non autem pari modo pauperes.

Sed dicam causam, atque adimam admirationem. Illis pinguis sagina corpora pravis aptisque humoribus replebat, otium et quies corrumpebant, aetas et consuetudo vorax augebant, constitutio corporis consentiebat. Haec quod jejuna victus ratione laboreque usa est, prae jejunitate, siccitate, et inopia, succis, eoque spiritibus ad putrefactionem proclivibus destituta est. Quae proclivitas et propensio ad suscipiendam causae agentis potentiam si non adest, nihil fit; proclivitas autem aderit, si certa quaedam qualitatum et spirituum convenientia et cognatio sit. Etenim non omnia temere agunt in omnia, sed certa tantum certo modo et consilio in certa, ita scilicet, si aptitudo materiae, facultas agentis et utriusque conveniens compositio consenserint. Neque enim ignis remota ligna, neque inepte composita adurit: Neque eadem contigua idem, si impotens est, exedit; neque saxa, terram aut aquam incendit, quod illa aut minime aut inepte componuntur; haec et agentis impotentia, et qualitatum aversione atque adeo repugnantia, ad flammam efficiendam, suscipiendamve minime sunt idonea. Quorum igitur ad has rationes cum ea contagione non consenserint spiritus, ii maxima ex parte omnes a morbo tuti extitere. Quamobrem alieniora fuere e morbo corpora densa, frigida et sicca aut natura et habitu, ut

melancholica; aut aetate, ut senescentia; quod haec putrefactionem oppugnabant potius quam admittebant. Quae causa est, quod etiam pestilentiam senes minus sentiunt. Itaque ea anni hujus sudoriferi constitutione atque tempestate, qua morbus viguit maxime, recreata potius quam laesa haec corpora sunt. Minus etiam tentata fuerunt corpora insigniter calida, ut puerilia, quod vehemens edaxque calor omnem mali materiem fomitemque absumpsit; et calida et sicca, quod siccitas ad putrefactionem inepta, caliditas nisi adjuncta humiditate otiosa est. Est enim putrefactio, corruptio nativi caloris in humido proprio, ab adventitio aëris calore. Frigida item et humida, quod frigus et calorem adventitium oppugnat, et in suo humido eundem retundit, nisi in his adventitia plenitudo ad putrescendum proclivis omnia evertat, atque ut putrescant spiritus fomitem praebeat (spiritus autem putrescere et probati auctores sunt, et indicio est aër, cujus hi naturam referunt, putrescens) malumque supra quam natura corporis fert in se alliciat; et cum hac, anni tempus calidum, quod cutis spiramenta aperit, contagionem intromittit, humores fundit, atque putredinem accelerat. Ita enim in phlegmaticis superatur frigus, in cholericis siccitas. Sed haec frequentius solent in iis morbis incidere, in quibus intrinsecis de causis putrefactio fit, ut in caeteris febribus, quam qui aëris contagione. Quae jam de Britannis dixi, eadem fere de Belgis etiam et Germanis licebit dicere. Etenim cum proximi nobis ratione victus hi sint, etiam nobis malo secundi erunt. Est tamen privata quaedam in utrisque observatio, prout natura coeli solique salubrior est, magis minusve iis, quae mali materiem gignere et augere consuerunt, indulgeamus, gravius aut levius, rarius aut frequentius aegrotemus. Ad haec, hi nostro aëre et contagione non laeduntur, sed suo; nos non illorum aër, sed noster inficit. Illud nostra hujus anni contagio monstrat. Hoc sua anni 1529 confirmat; idque propter eas quas ante proposui rationes. Nam ut vivendi usu et ratione propius ad nos accedunt, ita familiaritate circumfusi aëris naturaque soli aliqua ex parte a nobis discrepant; quantoque illud ad malum excipiendum facit, tanto hoc ad idem latius proferendum et cum aliis communicandum impedit. Fieri tamen potest pro veneni ratione et analogia, corporum aptitudine, anni tempestate, et ventis secundis, ut id ab uno profectum, manet latius ad alterum.

Hactenus reperiuntur mali hujus natura, nomen, origo, affectio, durandi ratio, causae, et aptitudo ad id personarum. Nunc de

iis dicam, quae valetudinem tueri, et morbum, si inciderit, demoliri tuto possunt. Incipiam a tuenda valetudine. Etenim id consequi votum est. Id quod probe norunt ii, qui in sanitate foelicitatem ponebant. Id aegri, qui praeter salutem nihil exoptant. Id aegri, qui praeter salutem nihil exoptant. Id Pyrrhus, qui vota pro sanitate faciebat. Id Antiochus Soter, qui Sanitatis signo vicit. Id demum, non solum Pythagorici, sed principes viri et privati ad unum omnes, qui cum ad alios scribunt, eis sanitatem, tamquam omnium rerum summam, precantur atque exoptant. Ea cum conservanda, praeservanda, corrigenda et reficienda sit, uti in primo nostro libello de medendi methodo diximus, tantum quae praeservare possunt hoc loco prosequar, quod hic solum hoc negotium est, dubiam valetudinem certam facere quoad ejus fieri potest, atque impendentem ex crudeli morbo sanitatis ruinam antevertendo declinare, non retinere tantum ea conditione qua accepimus conservando, neque naturalem corporis constitutionem malam immutare corrigendo, nec a morbo fractas vires solari reficiendo. Praeservationis autem summa atque scopus est, ut quae morbum efficiunt declinemus, quae jam contracta sunt educamus, incitamenta mali secludamus, et corpus ne malo suscipiendo idoneum sit, defendamus. Id praestari percommode potest causarum salubrium accommodo usu. Etenim in causarum salubrium potestate sita salus nostra est. Eae quae sint et quot, quaque methodo conprehensa etiam in illo nostro primo libello de medendi methodo explicuimus. Ergo ex iis praeponam victus rationem, quo jam devenerat oratio. Dein revertar ad aërem, unde de mali causis agens inceperam. Postremo caeteras causas salubres proferam atque ordine singulatim prosequar; exponamque primo, quemadmodum aëre, cibo, atque potione salubri, commodaque horum praeparatione, morbi causas declinemus; evacuatione, abstinentia, temperantia, exercitatione, somno et vigilia, quae insederint educamus; munditie, habitatione salutari, amotione rerum noxiarum, fuga a nocentibus locis, cura, observatione, et compositione affectuum, quae malum concitant et prolectant, secludamus. Ad extremum, quemadmodum lotionibus, suffitu, odoramentis, ignibus, alexipharmacis, atque aliarum rerum, quae praeservare atque animum augere possunt, usu, corpus adhuc integrum, ne facile contagionem admittat, tutum reddamus. In vivendi ratione praecepta a natura repetam. Ea enim optima vivendi magistra est, ea certissima norma. Cursus est enim certus et via una naturae, eaque simplex. Ea duce, et tuto quivis

vivere, et vitam in longum producere sine tristibus morbis, sine infinitis incommodis, quae alios sequuntur, potest. Ea parvo contenta est, et vivendi simplicitate. Id multis tum aliorum exemplis, tum praecipue priscorum Italorum et Persarum comprobari potest. Hi enim, ut Xenophon [43]) auctor est, pane, nasturtio, et aqua contenti erant. Illi (ut Coelius Rhodiginus [44]) commemorat) quam simplicissime tenuissimeque ex obvio vixerunt; adeo ut inde natum sit, tenuissimam quamque mensam, Italicam [45]) nominari; uti jam contra, plena mensa Britannica dicitur. Etsi non sum nescius, Platonem in epistola quadam ad Dionis propinquos, mensas Italicas ut nimium affluentes reprehendere. Sed has cum Graecorum mensis Plato contulit. Erat etiam in ratione temporum apud Romanos, vitae discrimen, uti tum ex multis multorum historiis, tum dein ex iis quae Lucius Columella [46]) in libros suos de re rustica et cultu hortorum praefatus est, scire licet. Is enim antiquae Romae duritatem atque parcitatem laudat, suae mollitiem atque luxum reprehendit, ut cui coenae non naturalibus desideriis, sed censibus aestimabantur. Sed luxum mitto, et iis relinquo, quibus τῆς καρδίας ἡ ὑπερῶα εὐαισθητοτέρα ὑπάρχει, ut Cato solebat dicere, quique palato magis quam corde sapiunt. Jam naturalem vivendi tenuitatem sequor. Eam ad sustentandam vitam abunde sufficere, exiguus etiam parcusque Zenonis, philosophorumque caeterorum cibus, et priscorum mortalium primi saeculi vivendi simplicitas clare docent, cum gurgite puro vita rediit, satisque erat populis fluviusque Ceresque, uti scribit Lucanus [47]). Neque id sine ratione. Nam si id in dies reponebatur, quod in dies vi nativi caloris defluxerat detractumque fuerat, naturae satisfactum erat, corporeque sejunctus dolor aberat, mensque fruebatur jucundo sensu, cura semota metuque, quo solum natura spectat. Quod si cuiquam insuavis cibus nasturtium, aut justo tenuior victus panis, aut ingratus potus aqua videbuntur, cogitet is quam suavis res sit fami panis ex jure simplici, aut allium cepave cum pane secundo, aut

---

43) Cyropaed. Lib. I. p. 98. — G. —

44) Antiq. lect. III. 9. p. 168. ed. Ald. — G. —

45) Mensam Siculam et Asianam mem. Macrob. Saturn. VII. 5. p. 522. De utraque multis disserit Caelius l. c. — G. —

46) Praefat. p. 67. b. — G. —

47) Pharsal. L. III. v. 381. — G. —

dulcis siti aqua pura. Haec enim jejunus stomachus raro vulgaria temnit, ut Flaccus recte cecinit. Marcus Tullius, quinto Tusculanarum quaestionum [48]) refert Darium in fuga avide bibisse aquam turbidam et cadaveribus inquinatam: Ptolemaeum peragrantem Aegyptum, cibarium panem suaviter edisse, sic ut nec illis visum quicquam jucundius sit, cum praesertim alias nec ille sitiens bibere, nec hic esuriens esse consuevisset. Quorsum igitur ambitiosa illa fames, quae undique terra marique quod voret, quaerit [49])? Quo tot potionum varietates? non minori, credo, numero, quam olim aetate Caii Plinii, qua, ad bibendum genera, mira vitiorum solertia, ad ebrietatem ingeniosius excogitata erant 195. Sed species, si aestimentur, duplici pene numero; magno certe et rei et sanitatis dispendio. Quo lautae gloria mensae spectat? Quid tam prodiga rerum luxuries juvat? Cum natura exiguo dederit omnibus esse beatis, ut est apud poëtam. Certe si considerare volemus (velle autem omnes debent) quae sit in natura excellentia et dignitas, si dux atque imperator vitae cujusque suae mortalium suus cuique animus esset, isque ad virtutem accinctus, atque ad gloriam virtutis via paratus, intelligeremus quam sit turpe atque incommodum diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere, quamque honestum atque commodum parce, duriter, continenter, severe, sobrie, fugeremusque epulas, instructas mensas, et frequentia pocula, quibus nullum gravius malum, nulla capitalior pestis humanae vitae atque rationi esse potest. Itaque et vinolentia, cruditate, insomniis, caeteraque morbi materia careremus, et vegetiores sensus, rationisque usus promptiores haberemus. Nam venter crassus, mentem non parit tenuem, juxta Graecum proverbium; *γαστὴρ ἡ παχεῖα, τὸν νοῦν οὐ τίκτει λεπτὸν.* Caeterum quamvis immoderatis epulis vellem omnes carere, nihil tamen obsto quo minus iidem modicis conviviis possint delectari. Nam ea ad valetudinem viresque faciunt, quo referri omnis victus corporis debet, et non ad voluptatem. Ergo in cibis potionibusque modus esto pro natura, simplicitas pro salubritate. Alterum enim facit ut vivamus, alterum ut jucunde et sine morbis vivamus. Sed in salubritate delectus est habendus

48) Tusc. quaest. V. 34. p. 201. P. III. ed. Gronov. — G. —

49) Hanc Romanorum luxuriam acerrime lacessit Seneca, epist. 95. Habent etiam vivis imaginibus expressam Macrob. Saturn. III. 13. p. 339. et Athenaeus, Deipnos. III. 4. p. 132. ed. Casaub. — G. —

pro sua cujusque corporis conditione consuetudine et natura rei. Etenim suus cuique est appetitus, sua quemque trahit voluptas, prout suam quisque mistionem nactus est et corporis constitutionem. Alii enim ovillae carnis, alii suillae esum non ferunt; alii a certis piscibus abstinent; alii nec carnem nec piscem omnino admittunt; quidam malum, pyrum, et caseum nunquam gustant, nec eos unquam fallas injecto vel levissimo horum momento in ea quae amant, quin statim deprehendant atque respuant. Mel (si estur) corpus nonnullis in tumorem attollit. Lac aliis letale est, cum alioquin omnibus sit naturale. Quidam assa omnia, quidam elixa, crocum quidam, quidam allium et olivam naturaliter oderint. Aeque et aliis aqua, aliis vinum, aliis acetum, aliis Ala, Bera aliis exosa est. Est apud nos servus quidam atriensis, qui tam raro bibit, ut credatur nihil bibere. Est et alter aulici item famulitii atque vitae, qui nunquam bibit (mirabile dictu) id observante hero suo, et subinde concludente, quo hujus rei certior fiat. Cum Patavii studii literarum gratia agerem, atque Aristotelicam disciplinam Graece profiterer publice, eramus in eadem domo convivae tres, quorum alter Comensis, solis amaris atque acidis delectabatur; alter Mediolanensis, nunquam bibit vinum sed aquam coctam, nec alio pane quam biscocto vescebatur; tertius solis dulcibus capiebatur: Perinde vario palato atque Horatiani illi convivae. Ita in corporibus nostris lasciviens natura plane ludit, et rerum varietate gaudet. Quocirca quoties de delectu victus deliberatio est, ad suam cujusque naturam consilium est omne, aut saltem praecipuum (nam morbus qui vel adest, vel impendet, aliquam partem sibi vendicat) revocandum. Atque haec de cujusque natura. Venio ad privatas consuetudines. Etenim eadem consuetudinis ratio est, quae naturae, eo quod consuetudo altera natura est. Ejus omni tempore habendam rationem et praecipui medici jubent, et nobilis cujusdam Veneti exemplum indicat. Is carne bubula consueto cibo a familiari medico curatus est, cum ab aliis, qui id nescierant, melioris succi cibis nulla ratione sanari potuit. Itaque non quivis cibus aut potio, sed certus eligendus huic illive est, pro sua cujusque corporis natura, consuetudine et morbi ratione. Nam et haec facit, ut tum in morbis aliis, tum hic etiam, dum praeservare tutarique corpora nostra ab hac diaria et pestilenti febre conamur, certam victus rationem praescribamus, variemusque in singulis. Is in cibo atque potione positus est. Cum igitur morbus hic impurus sit ac

putridus, ante omnia curandum censeo, ut cibus sit purus et salubris. Purus et salubris erit, si suavis sit, si probe mactatus, si non ad foetorem asservatus, si boni succi, si firmi nec ad putrescendum facilis alimenti, si coci focique officio bene praeparatus. Isque esse debet cum pane hesterno, qui bene elaboratus, conveniente fermento aspersus, et ex puro proboque non mucido tritico factus est. Sit potus aqua pura, dulcis cervisia, Ala aut Bera, quibus hae in consuetudine sunt et salutares, ex incorrupta buna, probe et sine adulterio cocta. Vinum item tenue, et quod quam minimum aquae ferat. Potentia enim utriusque generis, aliena sunt, nisi vino dulcem aquam affundas. His contentus, caeteras potiones novitio invento ad voluptatem ingeniosius excogitatas fugito. Pro cibo vitulus esto, hoedus grandior, agnus adultior, ovis, si castretur, Britannica, ex venatione cuniculus, lepus, dama, dorcas, platyceros. Neque hic bovem aetate tenerum (qualem habet Anglia et Italiae Florentia) propter siccitatem, firmitudinem succi, sumptusque tenuitatem jejuno popello excluderem, modo satietas absit. Utilis est item avis sylvatica, campestris et monticola, ex quibus est perdix, attagen, sturnus, merula, turdus, et qui sylvas amat phasianus. Aeque et pipio sive juvenis ex grege columbus, ubi jam omnem dum mactatur effuderit sanguinem, gallinaceum genus, et pavo gloriosus, cui in natura est, referente Coelio, ex occulta proprietate ut non putrescat. Id experimento comprobat. Equidem credo carnem ejus, quod excellenter sicca sit, non facile putrescere. His accedunt et quae ex vitulo, gallo, capo, pullo gallinaceo, et caetera ave quae sylva, monte, campove degit, conficiuntur cibaria, sive concreta ea, sive colata, sive pistillo contusa consistentia ministrentur; et egregiae bonitatis ova tremula; aut eadem dempto putamine ferventi aqua leviter incocta. Lac item optimum, quod ob id εὐχυμώτατον et optimi succi esse auctor est Galenus libro tertio de facultatibus alimentorum. Ex piscibus aquae dulcis placet lucius, perca, barbus, et quam vocant troctam. Mustela item, quam Cajus Plinius scaro bonitate proximam existimat, atque id genus bonitatis alii pisces rivales, quibus friabilis caro est, et profluente sabuloso arenosove procul ab urbe victitant. Ex salsa aqua probatur mugilis et barbatulus mullus, qui alto et puro mari jactantur. Nam in universum meliores sunt, quos plurima jactatione inquieta, aestuosa maria fatigarunt. Ex saxatilibus scarus, frequens in Creta piscis propter σκαροβοτάνην quam vocant herbam qua tantopere de-

lectatur. Merula, turdus, iulis, percis, phuca. Littoralis item gobius, pelagius asellus, buglossus, passer, aurata, lupus, dentex, et mustela illa quam piscatores nostri soricem marinum vocant, cum tamen capitis et reliqui corporis forma, atque adeo colore ipso similior mustelae quam sorici sit. Ex crustatis cammarus, cancer, pagurus. Sint omnes mediae aetatis. Nam in omnium piscium genere media aetas, quae justam magnitudinem non explerit, Celso probatur. Ex his aliquos idcirco annumero, quod firmi valentisque sunt alimenti, nec facile bono stomacho corrumpuntur. Neque enim aegrotis aut stomacho imbecillis victus rationem instituo, sed valentibus adhuc atque integris, quibus tamen putridi mali futuri suspicio est atque metus, ita ut securi esse non possint. Haec ita utilia sunt, si circumcisa omni negotiosa cogitatione, cum hilaritate, modo, tempore, et ordine, et consuetudine et assumentis desiderio sumpta sunt. Nam extra haec satietas omnis per haec gravia tempora atque loca, periculosa esse solet, uti etiam caetera anni parte, si quotidiana est. Quare ne quis qui valere et senescere volet in satietate vivat, commoneo: quoque valetudinis ratio semper constet, utendum cibis atque potionibus ut reficiantur vires tantum, non opprimantur, consulo; atque his non alienis a consueto, quod a consueto mutationes in pestilentibus febribus, et in rebus publicis, graves esse solent, ideoque ab Hippocrate in his vel maxime damnari. Itaque detrahere de nutrimenti soliti vel quantitate vel qualitate, vel etiam utraque, imminente hac gravi tempestate, suadeo. Qui enim celeriter notabilem abundantiam acervant, his de utraque; qui non celeriter, aut non notabilem, his de altera demptum esse sat fuerit, utrum videlicet homo ipse potius voluerit. At quemadmodum de quantitate demas, notum est. De qualitate demitur, cum exigui nutrimenti cibus apponitur, ut si olus, legumen, piscem, avem, aut ex caeteris quae jam diximus aliquid quod non multum nutriat exhibeas, imitatus ingenium atque exemplum sagacis agricolae, qui serendo ervo abunde esse putat locum macrum nec humidum, quia id granum luxuria plerumque corrumpitur. Optimum est in desideriis esse. Quare cibi condimentum primo fames esto, dein olea, cappari, limo, malum Punicum atque medicum; malum item illud quod alii matianum, alii arantium, alii aureum, et aurantium nominant, quodque interpres Nicandri in alexipharmacis [50])

50) Nicandr. Alexipharm. ed. Schneider Hal. 1792 Schol. p. 27. seq. — G. —

νεράντζιον vocat. Hujus arborem Nicolaus Myrepsus sectione 10 [51]) appellat νεράντζεαν. Acetum praeterea, succus oxalidis oxyacanthae, ribes, uvae immaturae, et quae austera adstringentiaque sunt, egregie condiunt. In secunda mensa quae bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit, probo quae ex malis cydoniis et prunis Damascenis siccis conficiuntur. Malum item nerantzium in tenues partes dissectum et saccharo condulcatum ex Palladii documento. Malum granatum, mespilum, et anni superioris pyrum atque pomum, nucem e Ponto, nucleum ex pinu cui hoc naturale est, succum corpori proprium augere, alienum siccare, corruptum repurgare, uti nonnulli tradidere, caricam etiam et palmulam, uvam siccam atque passam, tum jusculo additam, tum seorsum primo cibo assumptam. Nec displicent cortices limonum, malorum aureorum citriorum, et nucum regalium si condiantur, modo plus, quam par est propter dulcedinem non assumitur. Olera omnia seu acetaria ex herbis crudis nullo modo ad salubritatem praeparata, per id tempus improba sunt, quod suspicio est etiam iis ab impuro spiritus vitiosoque aëris afflatu aliquid inuri, quod impuriores eas faciat et insalubriores, atque ob id a contagione non esse omnino immunes. Etsi non ignorem alia ratione et analogia herbas, alia homines infici. Coctura tamen et calfactione fiunt idoneae, alias non improbo. Quocirca, origanum, anethum, thymum, salviam, acetosam, et rosmarinum herbam, aqua calida prius lota, aut ad focum calfacta non rejicerem, cum pisces aut carnes praeparandae sunt, adjecto aceto vel omphacio, aqua rosacea, macere, et oxyacantha. Ita nec acetarium ex cichorio, acetosa, flore boraginis, buglossae, rorismarini displicebit et violae. Cibis etiam atque condimentis si inter edendum aspergas hunc pulverem, ex sanitate erit. Compones maceris, caryophylli, ana partes ii. Zedoariae, rad. dictamni ana p. i. sandalorum omnium p. unius semissem; coralli rub. ros. rub. ana p. i. cinnami partes tres, margaritarum p. i. et sacchari purissimi quantitatem sufficientem pro cujusque gustu, contusis omnibus, et in pulverem quam tenuissimum redactis. Caetera καρυκεῖα, seu conditura supervacua, et in cibis variarum rerum confusa atque curiosa miscella, ut parum salutaris vitanda. Breviter de ratione victus ita in universum censeo, ut sit aut frigida et

51) Medicam. opus. Lugd. Batav. 1549, sect. 10. p. 370. Hoc vero loco junguntur nerantzeae et citri folia. — G. —

sicca, aut calida et sicca vel natura vel arte, prout res ratiove personarum postulat, et nos dicemus in sequentibus.

A cibo atque potione transitus est ad aërem, de quo infecto jam ante diximus. De eodem puro servando, quoad ejus fieri potest, aut minus saltem impuro, et corrigendo eo corrupto, nunc dicturus paucis sum. At illud cum fiat contagionis causas amovendo, hoc contrariis alterando, dicam primo quemadmodum causas amovebimus; post, quibus rationibus ita aërem alterabimus, ut ne noceat vitium id quod infectum est humanae naturae. Contagionis causas amovebimus, si soli accidentia, quae malum incitare augereque possunt, in contrarium vertamus, ut si animalium corpora, quae humi putrescunt, altius inhumare, aut igne consumere, aërem liberum et apertum servare, aedificio alto, lucido, spatiosoque habitare, quod perflatum aestivum, hybernum solem habeat, ut hic, frigus suo tempore mulceat, ille, aestatis incendia frigore moderetur. Aeque et in aversis potius civitatum atque aedium locis agere, quo gravis ventus minus offendat; ventos austrinos secludere, meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus cavere; munditiem amare, munda omnia procurare, sordes abluere; pigras et stagnantes aquas ad fluxum incitare, auras fluminum et stagnorum fugere, minimeque nubilo coelo soli aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor moveat, quod parum tuta haec sunt, ubi subita insuetis sunt; conclusa non reserare, quae tetri virosique sunt odoris eruncare, camerinas non movere, et caeteris, quae in commemoratione causarum contingentium supra comprehensa sunt, obviam ire studuerimus. Idem faciemus si quae soli tempestatisque vitio obveniunt, quaeque aëri corporique nostro vim pestemque afferunt (cujus generis sunt vapores illi nocentes, et pestiferae exhalationes, de quibus ubi de causis egimus sermonem fecimus) quantum licet secludamus atque fugiamus. Etenim a pestiferis recedere, et nocentibus rebus refugere, accessus est ad res salutares. Corrigemus vero aërem, frigidis et siccis, et siccis calidis. Etenim haec praeservandi meta est, hic felicis sanationis hujus mali scopus est, ea exhibere, quae aut sua refrigerandi, siccandi, adstringendique natura, aut calfaciendi et siccandi facultate vim habent, atque potestatem putredini adversam, cordi et spiritibus (pro quibus metus est) amicam, atque contra vitiosi aëris injuriam universo corpori salutarem. Ordiemur a siccis calidis. Ergo aëris constitutionem praeter naturam perque injuriam vitiatam, omnium primum commu-

tabimus siccabimusque igne ad hoc exstructo, tum intus in aedibus, tum foris sub dio. Sed foris ita, ut justum tutumque intervallum sit inter ignem et aedes, ne calore aestuent, utque ignis aërem tantum rapiat et commutet; et ex loci parte, quae ventum spectat, quo eum adventantem ignis excipiat, et depuratum repurgatumque ad nos dimittat. In hunc si odores, si suaveolentes herbas, fragrantes flores, jucunda aromata, odora ligna, et grate fumantia thura, ladanum, myrrhamque injeceris, omnes laudes ad hunc nostrum scopum attingendum certe habebit. Etenim suavitates odorum a putredine defendunt, spiritus recreant, animae vigorem addunt, laetitiam pariunt, atque aëris vitium corrigunt. Id divini Hippocratis, id docti Acronis et Empedoclis (qui Agrigenti nati, et Athenis sub Parmenide instituti sunt) exemplum docet. His enim rationibus hi omnes seorsum Athenas a peste liberarunt, sed ille privatim etiam Abderam. His ille Graeciae item alias urbes a pestifera contagione eo per intervalla temporum nunc ab Aethiopia nunc ab Illyria, nunc a Paeonia ventis afflata, tutas servavit, uti illustri laude celebratus Galenus, et methodicae medicinae instructissimus auctor Soranus [52]) scriptum reliquerunt. Sed longe petitis exemplis opus non est, cum fabros nostros ferrarios coquosque se foco tutasse suo observatum sit [53]). Sit focus hic luceus et perennis, et major sub Orientem solem et Occidentem. Rure per agros stipulam incendere, et nemorum decidua ligna passim comburere confert. Profuit et adusta filix. Per aedes thus masculum et odores incendantur. Sumitur rosa, lauri folium et rosmarini, sandalum citrinum incisum, et caryophyllum excipiuntur vino odorato, aceto, et aqua rosacea atque ad prunas leviter decoquuntur suavi odore. Aut nardi, croci, cinnami, cassiae (quos Celsus et Solinus odores vocant [54])) malabathri, pars una singulorum; costi, caryophylli, pars item una; rosae folii, cupressi seminis, utriusque pars una; conteruntur, et styracis quan-

---

52) Vid. ad calcem opp. Hippocr. ed. Lind. Tom. II. p. 953 de Empedocle Plin. hist. natur. XXXVI. 27. de Acrone vid. Plutarch. de Iside et p. 383. et Paull. Aegin. de re med. II. 34. p. 44. — G. —

53) Conf. Leo. Lemnius (de occult. nat. mirac. IV. 8. p. 384). Adfirmat illud van Swieten. (Comment. in H. Boerhav. aphorism. §. 605. T. II. p. 125); negat Sarcone (Geschichte der Krankheiten in Neapel. Th. II. §. 330. S. 64.) et ferrarios simul cum ceteris lue Neapolitana correptos esse auctor est. — G. —

54) Celsus, de medic. IV. 20. — G. —

titate, quae his excipiendis satis sit, commiscentur, addito moschi momento et ladani commoda portione, et incenduntur. Sed omnium efficacissimi, trochisci cyphi Democratis [55]) sunt, si ad odorem suffiantur; atque eo magis, quo plus habeant odorum. Nam in universum id censeo, in aegritudine hac spirituali, ex vera methodo, omnia ita plus minusve profutura, ut plus minusve odorem accipiunt. Etenim pro spiritibus vel maxime odores faciunt. Eam ob rem huc facit et rosa, myrrha, et thus pari portione incensa: Et quibus haec non sunt, baccae lauri et juniperi. Ex aqua item rosacea caryphyllis et caphura idoneus est suffitus. Haec intus fiunt. Foras atque in publicum prodire (quod tamen per id tempus parcius fieri consulo) vel et delectationis causa si libet, vel propter civilia negotia aut privatas necessitates, si cogeris, ex pari modo nucis unguentariae, maceris, caryophylli, croci, cinnami, si contrita subtiliter sunt, et mastiches Chiae parte una cum semisse, styracis partibus duabus cum semisse, ladani partibus quatuor, non sine ambrae moschique granis aliquot, vino aromatico dissolutis, concinne fit odoris gratia odoramentum seu pastillus unguentarius manu gestandus. Scordii etiam, heptaphylli, aut verbenae suffitum si quis ore excipiat, et non egrediatur domo nisi ab hoc suffitu, probe munitus erit ad hanc pestem. Quod si haec non placent, in eum usum sudario excipiatur aqua rosacea et acetum, os perpetuo occupet Zedoaria, aut enulae radix, aceto rosaceo ad noctem integram macerata; aut juniperi bacca, galangae radix, macer, aut mali medici semen. Jejunos prodire vetat Celsus, quod venenum omne facilius inani corpori quam repleto nocet. Quamobrem utilissimum est, ubi ex pestifero aëre metus est, non ante progredi quam quis aliquid assumpsit. Id esto ex iis quae parari facile possunt, quod mali festinatio moras non sinit. Ex horum genere proba theriaca est, in hunc effectum omnium consensione laudata et seorsum, et ex cyatho uno aquae destillatae acetosae vel scabiosae. Aeque et trochisci e viperis, et cyphi, diambrae saccharumque rosaceum. Et ex aceto, vel uvae immaturae succo panis ad focum tostus, cum levi contritae Zedoriae aut Cinnami aspergine, non dubia medicina est. Ficum, rutam, nucem, et salis momentum probabat rex Mithridates, ex quo ipse usus est Mithridatio. Cum pane butyrum, sal-

55) Compositionem eam habet Nic. Myrepsus, Dispensat. Sect. I. n. 298. et 299. p. 116 ed. Fuchs. — G. —

viam, atque rutam cum odoribus praeservando etiam esse, usus comprobavit. Populare item est, quod ex serapiis fit malorum punicorum, limonum, oxalidis, et aquis stillatitiis dracunculi, heptaphylli, et acetosae, jejuno stomacho, et ante coenam ubi concoxerit, additis semper per haec odoribus. Sed imperiale illud ex ovo electuarium. Mirum in modum facere comperimus contra hanc pestiferam diariamque febrem, acetosae, rosae rub. santali citrini, spicae nardi cinnami, croci, seminis citri, singulorum partem unam; boli Armeni ex oriente p. i. semissem; terrae sigillatae partis unius semissem; margaritarum p. i. adjectis auri puri foliis, sed contrita, et ex aceto pota, drachmae semissis modo [56]). Et ex aceto lapis Armenius solus, aut sphragis, aut ex eodem scordium non dubie facit ad hunc morbum. Aut margarita et corallus propter frigiditatem atque summam exsiccandi penetrandique facultatem. Sed terenda haec subtiliter sunt, quo vis major sit, atque expeditior distributio, minusve obstruant atque expulsionem praepediant. Quotidianus item usus (sed non solus) potentioris potionis ligni guajaci grassante hac ephemera humidioribus multum profuit, quod et universum corpus modice siccabat, et superantem materiem per cutis spiramenta digerebat, sudorem movebat et putredini resistebat, quo minus offendantur spiritus. Haec omnia etsi qualitatibus aut materialibus aut spiritualibus venenum eorum frangunt atque extinguunt ita ut liber eorum usus esse poterit, tamen si cutis astricta est, si obstructi meatus sunt, pronior sum, ut ex his iis utaris quae calida et sicca sunt. Si spiramenta nulla connivent, si infarcta non sunt, quae frigida et sicca. In munditie probo omnia quae suavem spirant odorem, sive vestes et indumenta ea sunt, sive quotidiano usu caetera linteamina. Lavari ex aqua calida, quod ea aperit, alienum est. Quamobrem commoda erit quae acetum aut omphacium admistum habet frigida, aut ea in qua mali granati, aurantii, aut Assyrii putamen, vel oxalis incocta sit, quod haec cutis spiramenta constringit, aditum aëri vitioso praecludit, et si ea pavimentum respergas, aëris vitium emendat, et calorem temperat. Quodsi praeter

56) [Nota est pristinorum medicorum superstitio, qua gemmis margaritisque etc. magnam ad contagiones arcendas atque fugandas vim inesse credebant. Recte Grunerus statuit sudorem per hujus generis pharmaca provocatum deberi aceti admixtioni, quod si quid virium ex ipsis elicere potuit, fortius tamen ipsum valuit ad sudorum provocationem. Accedit, quod haec gemmarum praeparata cardiacis atque alexipharmacis (vegetabilibus) jungi solebant. — H. —]

hoc pro consuetudine, urgente jam fame, jentandum sit, certe paulum cibi, sed hujus idonei, gustandum est. Id quod perpetuum per omne tempus hujus pestis diariae esse debet, ne si quis se nimium expleat, naturae laborem conduplicet. Quae cum vix contra plenitudinem venenumque se sustinere poterit, periclitatur ne succumbat.

Atque haec quidem de pestilenti aëre corrigendo, et quemadmodum in eo nos sanos habere conveniat, proposuimus. Quasdam autem observationes desiderat et inanitas et plenitudo. Nam si quis ex corpore metus est, ante et curioso victu et caetera detractione cavere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, ut cum morbus adventat puro in corpore puros offendat spiritus. Etenim necessum est, ut quod plena pravaque victus ratio, salutisque negligentia tempore apposuit, id cura detrahat, ne corpora ea ita repleta, celerrime et senescant et aegrotent. Detrahendi autem rationes duae sunt, inedia et evacuatio. Inedia, et in abstinentia et temperantia posita est, quod hac ab animo hominis pendente medicina, aut nihil edimus, aut quanto minimo natura sustineri potest contenti sumus; utroque modo quod plus decedit corpori quam accedit, paulatim materia superans minuitur, spiritus (quorum gratia haec fiunt) depurantur, corpusque a morbis tutum redditur, si plenius est. Atque haec securior detrahendi ratio videtur, quod talia corpora remissione usus ciborum elevanda, et humorum copia sensim consumenda, magis qaum repente praecidenda atque effundenda. Nam quod sensim sine sensu actas fecit, nec subito frangendum, sed diuturnitate extinguendum est. Quibus tamen haec non placet, iis evacuando mali materiem subtrahere licet. Quod autem subtrahitur, aut sub sensum cadit, aut sub sensum non cadit. Quod sub sensum cadit, abstersione, ablutione, lubricatione, alvi ductione, vomitu, sanguinis missione, cucurbitulis cute incisa, mensium, haemorrhoidum, sudoris, urinae, muci et sputi prolatione deducitur. Quod sub sensum non cadit, evaporatione (quam Graeci διαφόρησιν nominant) aufertur. Ea frictione, balneo, fomento, et cataplasmate perficitur. Ergo cum quod eorum postulet valetudo, prout res necessitasque jubet, parata evacuandi ratio est, proque malo corporis prodest aut sanguis missus aut alvus ducta. Si sanguis abundantior justo fuerit, aut qualitate corpus offendit, vulnere medicina quaeratur, secteturque axillaris vena dextri brachii, educatur sanguinis quantum fert aetas, res, tempus, vires, caeteraeque incidendae venae circumstantiae. Si id casus non fert, sufficiantur cucurbitulae cum ferro inter sca-

pulas positae. Sin noxii humoris affluentia est, solvatur alvus, et aptis medicamentis pro natura rei et personae evocetur quod abundat, attenuato tamen eo et digesto prius, si id res exigat. Sumitur exempli gratia syrupi acetosi simplicis, acetositatis citri anna ℥j decoctionis subscriptae pondo librae quadrans. ℞ Seminis citri ℥ij florum cordialium, acetosae, ana m. i. Radicis cichorii, heptaphylli, ana ℥v. Seminis carthami leviter contusi ℥j. Decoquantur in lib. ij aquae acetosae et quadrante aceti ad tertias; coletur. Sumat mane jejunus et sub coenam ubi concoxerit, ad tres dies aut eo amplius pro ratione. Tum ducatur alvus aloës et ammoniaci thymiamatis ana part. ij myrrhae una, cum syrupo acetoso ut inter se coëant atque coalescant. Aut catapotiis ex absinthii partibus ij myrrhae parte tertia, quibus etiam odores adjunge, ut crocum, cinnamomum. Aut pilulis e cinnamomo Nicolai Alexandrini [57]): Aut Alephanginis Mesuae (quod ex odoribus maxima ex parte fiunt [58]) si utrique compositioni integrae, galangae, Zedoariae, scordii, dictamni, acori veri, myrrhae et croci pares portiones (ut sint pondo ℥iij ex singulis) addas. Nec alienae erunt quas vocant communes ejusdem Nicolai Myrepsi [59]), maxime si ex his quae jam proposuimus, aliaque admisceas. Exhibeantur pro ratione circumstantiarum plus minus ℥j. His enim nihil aeque contra gravem hanc diariamque febrem proficere nobis ratio commonstrat. Nam et humores nocentes subducunt, pro spiritibus faciunt, putredini resistunt, et vim veneni frangunt. Variare medicamentis idcirco hic, ut ante, expedit, quod omnibus naturis et aetatibus nihil unum potest convenire. Itaque ab his ad illa transire, et ab illis ad haec redire rursum, et alia etiam adinvenire, nunque enemate, nunc pharmaco leni, pretioso, suavi, liquido aut contra, agere, sua cujusque personae ratio saepe cogit. Quibus ergo pretiosa placent, et res id postulat, convenit aliquid de manna aut de rhabarbaro. Mannae sextans in decocto boraginis aut scordii liquatu, rhabarbari ℥ij, in aquae stillatitiae heptaphylli, acetosae ana ℥j, cichorii, vini aromatici ℥v singularum cum aliquo ex odoribus et aloë, seu succo

57) Medicam. opus. Lugd. 1549. Sect. 1. p. 32. et Sect. 32. p. 517. — G. —

58) Sunt catapotia aromatica. Vid. Jo. Mesue, De re med. interpr. Sylvio. Sect. IV. p. 344. — G. —

59) L. c. sect. 32. n. 83. p. 525. Constant ex aloë, asaro, agarico, pulpa colocynth. et aromatibus. — G. —

rosarum idonea portione macerantur. Quod si ad aliquot post dies alvus sponte nihil reddidit, id quod saepius evenire solet, inutile non erit, si per interposita spatia eam partem clystere ex hiera [60]) perluas, qua reddi ciborum onera maxime est salubre. Hujus generis infinita, cognita jam mali hujus medendi methodo, et sibi quisque conficere, et aliunde assumere, si libet, potest. Quamobrem hic diutius immorari non est operae pretium, si hoc unum admonuero, haec sub fine veris ineunte jam aestate, quam plurimum solet morbus iste infestandi initium sumere, esse potius facienda, quod gravia haec tempora, quibus malum populatim jam grassatur, humores sedatos et quietos magis quam medicamentis exagitatos, corpus conclusum quam apertum, robustum quam resolutum postulant. Quare tum neque vomitu stomachus, neque purgatione alvus sollicitanda, sed si fluat retinenda potius est, neque diureticis ren turbandus quod eorum usus nullus esse debeat, ubi concoquendum quid, aut naturae permittendum sit, quodque ex his potentia, sanguinem incendunt atque liquant. Neque vena incidenda, tum quod προηγουμένως et sua natura, causa mali in nobis non est, sed extrinsecus incidit; tum quod facilius admittitur contagio si vena secetur; nec si concepta ea est et diffusa late, ita educitur, et praeterea sanguis atque spiritus agitantur, quae res putrefactionem non parum adauget, dum impura puris confunduntur ac permiscentur. Ad haec neque balneum ingrediendum, neque movendum nisi paululum et lente, atque ita ut sit ambulatio antemeridiana, pomeridiana sessio propter calores; neque exercendum, sed quiescendum tutius censeo. Reliquo tamen anni tempore, haec vel maxime laudo. Ubi igitur opportuna haec sunt, si humores impacti, et compressum corpus est, frictione, sudore, balneo, temperato ex aqua dulci, ex herbis fundentibus chamaemeli, rorismarini, lavendulae, foeniculi, idque genus aliis addita malva, resolvendum et fundendum est. Nam haec cutim astrictam resolvunt, condensatos humores calore blando attenuant. Sed ita tamen balneum et fricatio esse debet, ut illo demum finito, suffrigida affundatur, haec, cum ratione lenis fiat: Nam vehemens spissat, lenis mollit, multa adimit corpus, auget modica, uti ingeniosus prisci saeculi medicus Hippocrates praecepto tradidit. Ea si ad ignem fiat, ex sale, oleo aut aqua dissoluto, at-

60 Medicamentum purgans paullo valentius, cujus apud veteres variae erant compositiones. — G. —

que ad lentorem conquassato, et sudores momento elicit, et carnem cogit, id quod cum primis hic spectandum est. Etenim non tam quid humores fundat et corpus laxet videndum est, quam quid solutum liget, et laxum stringat aestimandum. At aliud postulante re, si vomendum vome, si urina cienda, cie, si movendum, quadam varietate move, si exercendum, exerce. Exercent vero commode, saltus, arma, pila, cursus, ambulatio, lucta, vox clara. Haec antecedere cibum debent, sudore finiri, aut certe lassitudine, quae tamen citra fatigationem sit, cibo non ita mox adjecto. Nimia enim exercitatione et defatigatione corpora ingravescunt et franguntur, modica levantur. Ex quo intelligitur, neque tardam eam esse debere, more eorum, qui tarditatibus utuntur in gressu mollioribus; neque concitatam nimis, ut est illa in iis, qui in festinationibus suscipiunt nimias celeritates; sed moderatam, cujusmodi est eorum, qui modice, temperanter, et quiete vel se exercent vel inambulant. Huc facit et concubitus, pestiferis istis locis et tempestatibus non expetendus, quemadmodum neque aestus, quod is corpus solvit atque fundit, firmitatem frangit, atque imbecillitatem facit, quae omnibus morbis obnoxia est. Caetera tamen anni tempestate non improbem, si moderatior rariorque sit. Uti enim voluptates commendat rarior usus, ita vires excitat, et sanitatem confirmat moderata Venus. Cavenda immoderata tantum est et intempestiva, etiam ea ipsa aetate, qua maxime quadrat. Libidinosa enim et intemperans juventus effoetum tradit corpus senectuti, defectioque virium aetate provecta, juventutis vitiis saepius efficitur quam senectutis. Idem facit et intempestiva Venus. In exemplis caper est. Is quoniam immodicus libidinis, dum adhuc uberibus alitur, matrem stupro supervenit, et ideo celeriter et ante sex annos consenescit, quod immatura Veneris cupidine primis pueritiae temporibus exhaustus est. Nec alia causa est quamobrem et ii et homines in matura alioqui aetate, implendis foeminis minime sunt idonei. Idcirco non est, quod quis, si per libidinem, vires, aetas, ingenium defluxere, naturae infirmitatem accuset, neque suam quique culpam auctores ad alia transferant. Quare pugnandum tanquam contra morbum est, sic contra perniciosam libidinem. Et quamvis ipsa natura profundat in juventute suas cupiditates, ejusque aetatis quidam fervor sit, qui minister libidinis esse solet, ea tamen progrediente, omnia fient etiam in dies mitiora. Haec eo magis admoneo, quod in hac suavitate humanitatis, qua prope omnes delectantur homines, ea aetas versari perjucunde solet. De somno et

vigilia etiam hic habeo quaedam dicere. Nam haec siccat ut ille humectat. Quare somnus supra id, quod naturale est, vitandus est. Quod si in utraque intemperantia subest, tutior per haec gravia tempora in vigilia quam in somno est, modo non a cibo, sed a concoctione fiat. Per haec fit conservatio valetudinis, defensio a morbis, iis maxime hominibus, qui ad haec, animi perturbationes componere, concitatos motus inimicos mentis vitaeque tranquillae regere, et composite pacateque vivere didicerunt. Nam infinita harum vis est, admiranda potentia, ut vix credas quantum hae sedatae valetudinem promovent, turbatae offendunt atque evertunt. Itaque hoc nocente tempore, exulent animo curae, migrent tristitiae, valeant amores, absint odia, mitte sollicitudines, contemne metus, iras comprime. In summa, omnia consilio et judicio, non animi impetu, non perturbatione gere, ac te totum in laetitiae hilaritatisque sinus infunde, procul a timore morbi, procul a salutis desperatione.

Expedito jam quemadmodum sanos agere conveniat, ad ea transibo, quae ad morbum curationemque ejus pertinebunt. Ejus causas, signa, atque effectus antea dixi. Eam ob rem non est cur caetera repetendo hic longum faciam, modo causas mali, quae ad curationem maxime faciunt, animo diligenter repetam atque versem. Nam causae aestimatio morbum solvit, causaeque cognitio, cognitionem eventorum facit. Neque enim cujus causae certa notitia non est, ejus opinio certum reperire remedium, aut praevidere eventum potest. Quemadmodum enim domus, navigii, hocque genus aliorum fundamenta firmissima esse oportet, ita negotiorum etiam atque actionum medicinalium principia et causas, certas, cognitas et perspectas esse expedit. Causam vero efficientem hujus pestilentis Ephemerae, ex vapore venenum esse, ante retuli. Ergo educendum id esse, indicatio est. Sed qua via atque ratione, ex natura petendum est: Etenim qua maxime fert natura, ea educendum docet medicina; fert autem maxime sollicitando sudorem; qui si non sequitur, nihil spei superest; si sequitur, sanitas quoque prospicitur. Sudorem igitur promovere, hujus medicinae meta atque scopus est, huc omnia referenda. Per sudorem enim ad integritatem venitur. At cum duplici ratione sudor profluat, natura atque opera; natura, si satis valens robustaque nec impedita ea est; opera, si laborat, si impedita est, duplici ratione medendi officium nobis incumbit, ut naturae scilicet omni obsequio dextre subserviamus valenti, et eidem subsidium opemque feramus laboranti. Dicam primo quemadmodum

aegri habendi sint, si natura manat sudor, tum si opera. Si natura fluit sudor, proxime est necessaria patientia, tum naturae locum dare, conatus ejus non impedire, vires non frangere, eam motu non defatigare, eodem momento decumbere, vestes, nisi commode possunt eximi, non deponere, alias, sed modo, si opus est, accersere, abstinere, quocunque modo naturae quietique sese dedere, de se bonam spem concipere, eamque brevi ratam fore sibi persuadere, animo valere. Nam multum valet animus in re mala bonus. Atque haec quidem si indutus est: Si in lecto nudus, non surgere, non membra jactare, se continere, praeter faciem nihil aperire, et caetera ex iis, quae jam praecepi, et nudo cum induto communia esse possunt, facere. Si eodem lecto duos corripuit morbus, ne surgant, neve cubilia mutent moneo, etsi id suo fiat incommodo. Ad quod vitandum, consultius est per gravia haec tempora, ut suum quisque habeat lectum. Ministri sint vel ex necessariis aliqui, vel ex aliis ii, quos fide, sedulitate dexteritate et benevolentia nobis usui esse posse cognoscimus. Hi multi non sunto, sed quot res postulat, quod astantium multitudine domus aestuare saepe solet, et eorum gestus, aspectus, verba, actus aegrotanti saepe molestiae sunt et desperationi. His officium est, aegros, si impetu ferantur, suavitate verborum demulcere, animos delinire, si membra jactant, ut quieti se componant jubere, ne se totos denudent, neve pedem aut manum aperto aëri exponant imperare, nimio tamen officio non offendere, si quid desiderant ministrare. At quo tempore, ex casu, quo consilio, ex tempore discere, eo quod sua cuique accessionis parti tempestivitas est data, etiamsi tempus curationis in angusto positum est. Verba vultumque ad hilaritatem per omne tempus componere, ne ex his aegri intelligant, ob quod de se desperent, nunquam vel latum pedem quoad accessio ad extremum perducta sit, discedere, nunquam ante 24 horas aegrum relinquere. Nam curiosa haec diligentia multis saluti fuit, uti contra, negligens incuria multis exitio. Sudandi ministrandique tempus ideo horis 24 definio, quod haec ratio felicis tutaeque curationis atque ministrationis esse solet. Nam etsi hora decima quinta, exacto jam morbi impetu, aliis quibus malum grave non est, liberalius agere licebit, quaedam tamen periculosa multis per has et insequentes horas incidere consueverunt, dum nimia securitatis confidentia morbum aut neglexerunt aut contempserunt. Per haec dum sudor sponte profluit, abstinentia esto a cibo ad horas 24, a potione

ad horas quinque, quam minimum, si per utriusque necessitatem id fieri potest, non quo aegri vires convellas, sed quod facilius corrumpitur quod aegro corpori infertur, quodque natura, cum jam de victoria decernit, sumpta potione atque cibio impeditur, nisi si virium gratia, Christi quam vocant manum, ex margaritis et odoribus confectam exhibere placeat. Periclitante tamen ex abstinentia aegro, aut imbecilliore facto quam ut abstinentiam ferat (quod tantillo tempore non solet incidere, potest tamen), potius erit quod tutius, etiam ante has, ut in his ipsis horis pro diversitate rei et personae, sed moderatius tamen. Eandem observationem septima, nona, undecima, et decima quarta hora postulant, quod septima gravius incrementum mali habet, nona delirium continet (maxima ex parte ajo, semper nego) undecima, decima quarta, et interpositum tempus morbi impetum sustinent. De caetero salva omnia atque tuta, nisi temeritas aut negligentia oberint. Ita in quiete et abstinentia habitis aegris, quinta hora potionem etiam liberalem postulat; sed nec saepe, nec semper, nec nimium, aliis Alae aut Berae, aut alterius cervisiae, cui detracta spuma est, saccharo condulcatae, si consuetudo fert, aut aquae hordeaceae et vini tenuioris atque lenis pari modo aliis; aut aquae mulsae, aquaeve solius decoctae vino tinctae: Sed omnia bene calentia, sed potestatis omnis reprimentis atque refrigerantis expertia, quod haec sudoribus eliciendis adversa, illa secunda sunt. Generosum vinum, merum, et minime dilutum, nullo modo potus gratia, medicinae tamen, ut dicemus postea, concedendum. Nam illud ignorari non oportet, quod calfacto jam corpore, atque agitatis humoribus et spiritibus, vapores facile caput petunt, ac delirium inferunt, quod cum huic morbo familiare sit et cum periculo junctum, vino auctum, certius malum inferet, et eo magis quo nobilius membrum cerebrum est, aegrique per sudores et insaniam minus audientes medico sunt. Sumatur potus ex poculo oris angusti, sed fundi capacis atque ampli, adunco rostro seu siphone liquorem proferente, ne aut levare se aegri dum bibunt, cogantur, atque ita inimicum aërem intromittere, aut praeceps copia potus naturam vel gravet vel opprimat. Ita habendi aegri si sponte naturae sudor profluit. At si non nisi opera id perficitur, prima observatio est, quid id sit, quod sudorem impedit, aegrine impatientia, an naturae infirmitas, astricta cutis, an humor compactus. Etenim istis quatuor modis omne impedimentum comprehenditur. Inter quas cohibiti sudoris causas quemadmodum discernas cum me-

dendum sit, ita docebo. Incipiam ab impatientia. Ea ex inquiete jactationeque aegri nullo negotio sub aspectum cadit. Quare revocandus ad ordinem patientiamque aeger est quibus ante dixi modis, si non sponte sua, at certe vi aliena, quanta maxime tamen fieri potest blanditie, hortationumque ad rectam rationem et quietem dulcedine. Verum si natura infirma est, scire licet id fieri, vel quod ex se debilis ea est, vel quod ex altero gravante prementeque infirma est. Ex se debilis natura est, cum nativus calor diminuitur, et vires fractae resolutaeque sunt: Primo vel quod evacuantus rubstantiae spirituum, vel quod ea ipsa dissipantur, consumuntur, et evacuantur, quae subjecta sunt spirituum, ut humores, carnes solidaeque partes: idque ex causis aut extrinsecis, ut aëre calido, cibo potioneque calidis, motu concitato et continuo, protractisque vigiliis: aut intrinsecis, ut perturbatione animi, temperamento calido, ardente febre, trahente morbo, gravi dolore, larga fluxione, immodico sudore, copioso vomitu, intemperantiori Venere, aut liberaliori evaporatione, quam Graeci homines διαφόρησιν nominant. Secundo, vel quod aufertur deficitve alimentum, idque aut internum, ut sanguis, aut externum, ut cibus, potio: vel quod haec aërque quibus ante retuli rationibus depravantur ac corrumpuntur, aut qualitate noxia sunt: Tunc enim corpus non alitur. Itaque necessario calor innatus minuitur, vires solvuntur, corpus adimitur. Ex altero natura premitur cum vel qualitate adversa atque opposita suffocatur, eaque aut manifesta, ut frigore: aut occulta, ut veneno, halituve venenato, qualem antea retuli ex specu Puteolana: vel humoris copia, sive is sanguis sit, ut in athletis, sive pituita, aut alius humor, ut in voracibus et desidiosis. Ergo qui hac febre pestilenti laborat, corporene firmo, quadrato, et viribus constante sit, an languido, exili et resoluto, aestimandum est. Si firmo (firmo autem natura corpore et bene curato, aetateque firma atque integra omnes fere fuisse, qui hac febre diaria et pestilente tentabantur, ante proposui) certum est per naturae resolutae impotentiam et languorem non stare, quo minus sudor profluat. Necesse igitur est compressi corporis ratione, idque vel quod cutis spiramenta conclusa sunt, vel quod humor crassus atque copiosus sibi viam obstruit, λύσιν primum, alterum ξέγνωσιν Graeci vocant. Sed utra ex his offensae causa sit, internosces facile, si expenderis diligenter, num aeger per anteactam vitam gulae ventrique deditus homo sit, an vivendi sobrietati, otio an exercitio, balneis assueverit atque frictioni, an secus.

Nam si homo gulosus est, si vivendi instituto otioso, magna significatio fit naturam plenitudine gravari. Si exercitationi, balneo et frictioni in superiori vita non assueverit, meatus cutis constringi, aut humorum crassitudine atque copia obturari, aut utrumque esse argumentum est. Haec enim omnia in eodem aliquando conjunctae, aliquando separatae cohibiti sudoris causae sunt. Sed si valetudinarium corpus est et resolutum, morbo caeterisve causis et intrinsecis ante comprehensis exhaustum, ex ipsa natura infirmitatem esse certo constat. Cum tamen incidere solet, ut qui aegritudine aliqua laborarunt resolutique sunt, non insudent, expende profluxeritne [61]) multum sudoris quo tempore aegrotarunt, an incitatus ille nihil promanaverit. Si per aegritudinem neque insudarunt, neque si incitatus est profluxit sudor, et humoris crassitudo, et cutis constipatio non incerto indicio deprehenditur. Itaque pro re nata singulis causis obviandum est: si cutis astricta et humor impactus, iis rebus quae fundendi potestatem habent; si natura ex se infirma, eis quae sudorem provocant; illud percommode fit, leni frictione, et calida atque ad hoc accommodata potione; hoc calida potione sola. Cavendum tamen est, ne aut potus aut frictio nisi opus est adhibeatur, quod alioquin haec vires dissipat, et spiritibus liberum exitum facit: illa naturam occupatam alio jam avocat atque impedit. Quare postulante re, compresso corpori offerendum linteamen calidum, jubendumque se totum leniter eo perfricari, et, ne vestibus interim sublatis aërem admittat, omni studio cavere. Nam fricatio haec modice calfacit, vitale robur excitat, humorem solvit, et spiramenta cutis relaxat. Ita si insudet aeger, ab aliis adjumentis abstinendum. Sin minus, recte exhibebitur potio vini firmioris (hoc est nec nullorum virium nec ingentium) et calentis, iis maxime qui per initia leve frigus sentiunt (aliis ad delirium obest) quod id, ut si quid aliud, sudorem blande promovet, dum crassum humorem fundit, crudum concoquit, et conclusos cutis meatus recludit. Si id ex se non proficit, ex eodem vino calente optima theriaca, aut selectum mithridatium frigidiusculis et cute conclusis; sed calidis et cute laxis, ex aceto prodest. Aut quod anisum, cyminum, et calamintham incocta habet vinum. Idem etiam praestat ex vino mulso vis decocti dictamni, rosmarini et chamaedryos pota. Aut ex sero quod lacte,

61) [Recte Heckerus ita emendavit quod apud Cajum legitur „profluxitque“ atque mox „promanavit.“ — H. —]

dum fervet, bubulo secrevit acetum, petroselini, foeniculi, origani, salviae, macerisque incoctae potestas, si quantum calidissimum potest sumitur. Sed qui pedibus aegri sunt, quibus hydrops, rheumatismus, aliave pituita molesta est, si in hunc morbum incidunt, ex ligno Indico (perfusis semper odoribus) potentior portio bene calens egregie facit, uti etiam aliis si ad manum est, quod id lignum cum resinosum est, adversus contagionem valet: cum subtilissimis partibus calidis et siccis constat, humiditatem excrementitiam, si multa est, siccandi, si crassa et frigida, fundendi, et per cutis spiramenta si astricta ea est, digerendi potestatem habet, uti et caetera quae jam proposuimus. His item ephemericis inutilis non est usus radicis Sinarum [62]), nomen habentis ex ejus nominis regione extremi Orientis ultimaeque Indiae, unde ad nos transfertur; quod ea etiam putredini adversatur, egregie siccat, et sudorem movet. Si haec non sunt, ex usu erit personatae radix ad sudores educendos, si una cum junco odorato, macere, et calamo aromatico decoquatur. Nos sub ipsis morbi initiis, cum non tam sudoris movendi, quam etiam veneni frangendi atque evocandi rationem habuimus, quae utrumque efficiunt commiscuimus, ne si ex occasione sudor interrumperetur, venenum quod superest de caetero aegrum offenderet. Verum si sponte manarit sudor, quod venenum tantum retunderet feliciter exhibuimus, ut ex cyatho uno aquae oxalidis et dimidiato cyatho aceti rosacei egelidi, terrae sigillatae ℈ij. ramenti cornu unicorni animalis, pulveris dictamni ana ℈j. cinnami, galangae, nardi, ana ℈j. Aut ex aceto calido vel bolus armenius, vel terra sigillata seorsum cum odoribus. His atque id genus aliis usi sumus, sed pro ratione personarum. Nam si laxa cutis, nec obstructa ejus spiramenta erant, frigida et sicca selegimus. Si constricta illa, aut obstructa ista fuerant, calida et sicca maluimus, et melius responderunt. Naturae ex se infirmae subsidio erit vinum meracum calens, aut id ex decoctis macere, rosmarino herba, aut cypero (quem juncum quadratum Celsus [63]), triangulum Plinius, odoratum alii nominant) liberaliter haustum. Si

62) I. e. radix Chinae, apud majores rad. Cinae, Chynae, Sinae, Sinarum. De qua vid. „Radicis Chynae usus, Andr. Vesalio authore. Lugd. 1547“ et Kurzer Auszug und summar. Bericht, Eygenschafft und wunderbarl. Wirkung der frembden new erfundenen Medicin, der Wurzel China genant, auss latin. u. tuscan. Sprach transferirt durch G. H. Rivium. Würtzb. 1548. — G. —

63) De medicin. III. 21. — G. —

prima potio sudorem non elicit, iterum atque tertio ex intervallo repetatur, auctis aliquanto tegumentis, atque foco, aut ex puris siccisqui lignis quercus, fagi atque fraxini, adjecto bdellio odorati suffitus gratia, ladano, aut styrace calamita; aut ex odoris lauri, juniperi, abietis atque pinus seorsum. Vix enim fieri potest, ut per haec sudor non sequatur. Profluente jam sudore, a potionibus sudorem moventibus atque a frictionibus abstinendum, et ad eum ordinem potionemque, per omnem accessionem, quae ante cum sponte naturae fluxit sudor proposueram revertendum; cum eo tamen ne potio rara aut frequens, tarda nimium aut immodica sit. Sed et vincente jam sudore et natura, ubi copiose sudarit aeger, memores nos esse oportet focum diminuere, et tegumentorum augmentum paulatim pro ratione subducere, ubi jam languere corpus coeperit, si id ante undecimam horam fiet. Etenim decima quarta jam exacta hora, etiam de justa veste demere licet. Decima octava, si levi tantum veste contectus aeger sit, satis est, modo pro temporis ratione ante abunde sudatum est, atque adhuc sudat. Sed si viribus satis constat, quantus plenissimus et longissimus potest, promanet sudor, antequam vestem demas. Ita tamen ne immodico sudore digeratur corpus, atque exhauriatur anima. Cujus rei semper habenda ratio est in infirmis corporibus et digestis spiritibus vel maxime, uti etiam in aliis firmioribus. Neque enim sudoris copia tantum, quantum vires aestimandae sunt. Proinde committendum non est, ut supra vires aeger insudet, quod potior est dubia curatio atque salus, quam certa mors. Quod si forte (ut fit plerunque) corpus jam languere, atque animus ex brevi temporis intervallo deficere aegro videbuntur, antevenire malum futurum par est levi veste sed aequa contegendo, odoriferis floribus atque herbis lectum respergendo, rosam caeterumque aroma naribus applicando, loco non aestuante, fenestris patentibus (si quis aestus sit) sic ut perflatus aliquis accedat (quo aëris calorem leve frigus temperet) sed non australis. Nam per haec gravia tempora austri specularibus arcendi, clausis iis fenestris atque ostiis, quae ad meridiem spectant, ut et antea retuli, et M. Varronis exemplo in belli Corcyrensis peste commonstratum est; ut dextro lateri incumbat, incurvato leniter corpore, ne partes laborent, jubeto. Ita enim nativus calor spiritusque tanquam in κοιλία (ut est apud Aristotelem) colliguntur, ne se diffundant, sed intro ad praecipuas partes recedant, coguntur: multo sane magis quam resupinato et extento decubitu, in quo nullus fere locus relinquitur nativo

calori et spiritibus continendis. Ut non addam in illa recurvata corporis positura membra aegri ita esse composita, ut omnis omnium contentio remittatur ipsaque otio jam quiescant. Quo fit, ut cum caeteris partibus minor est caloris atque spiritus necessitas, major eorum copia partibus interioribus et jam laborantibus, revocante necessitate, ad reficiendas vires concedatur. Praeterea ex aceto et rosa, vel ex odoro vino sudarium naribus admoveto, sic ut eas non contingat, ne refrigerando sudorem prohibeat, aut saltem tardet. Quae observatio perpetua esse debet et per omne tempus, et per totum accessionis spatium, quod frigida reprimunt, atque naturae (cujus motus semper sequendus est) calore agenti venenum adversa sunt. Si caput non est integrum, si mens non constat sed labat, si est inanis profluentia loquendi, alienum non est naribus aestuantis admovere quod veneni impetum et vaporem a capite arceat, id est, rosam et acetum. Si intra verba desipit, nec impetu peccat, nil nisi continendus aeger est, cum plerumque breve id esse consueverit, levatoque accessionis impetu protinus mens redit. Si somnus urget, esto a somno abstinentia, quod per somnum veneni impetus ad interiora cum periculo fertur, cum jam prodire ad salutem hominis expediret. Itaque nomine compellandus homo est, clara voce, suavi verbere, leni vellicatione excitandus, neque concedendus somnus est, usque dum adempta est omnis dormiendi et necessitas et cupiditas: nisi praesenti medico perito atque docto, ex venae salientis contactu, et circumstantiarum observatione tuto aegrum dormire posse visum fuerit. Nam parum peritus homo, non nisi laborantis vitae dispendio, aegrotantis cupiditati nulla ratione facile subscripserit, etiam in ipso accessionis impetu atque statu. Quae accessio usque eo producitur, quoad materia ad inflammationem apta superest, ex totoque soluta est. Uti enim potens vinum tantisper incenditur, dum omnem vim vitis flamma deposuit, sola aqua relicta pura et insipida, quam vitis ex solo traxit, ita corpus tantisper ardet et insudat, dum apta ad id materia est, tandemque cessat, cum quicquid est corruptae materiae spiritibus mistae, quod flammae fomentum esse potuit, absumptum est, spiritibus relictis puris ad eum modum quo ante fuere, quam ii corrupti et infecti sunt. Quod si quis per ipsa morbi initia aut incrementa deprehensus est dormisse, evasisse tamen, hoc felici culpae adscribendum potius quam tuto consilio, levitati causae quam certae prudentiae, fortunae quam judicio. Nec si unus aut alter fortunae arbitrium expertus convaluit,

ut omnes fortunam experiantur consulo, cum ea minime certa securaque salutis norma, minime tuta felixque curationis ratio sit. Quocirca non qui tantum habet opinionem medicinae, non quemvis unum e populo, sed aestimatorem doctum et intelligentem postulo. Ubi enim ignorantia praeest, sanitatis leve praesidium est. Per haec si consequi possumus, ut et sudor feratur, et si immodicus est impetus ejus, minuatur, et vita, si animus deficit, prorogetur, incipit jam tempus ipsum esse praesidio et res in tuto. Verum si per impatientiam steterit, quo minus aeger ad plenum sudarit, aut abruptus sudor sit, ex veneno quod superest periculum est vel praesens vel ex intervallo, aut saltem iterandi sudoris necessitas secundo atque tertio, aut eo amplius, cum praesertim quidam etiam cum duodecies sudarunt (id quod non raro incidit) vix tandem ad integritatem pervenerunt. Si abunde sudatum est, ex levitate atque alacritate corporis, ex omnium partium mediocri modo, ex continuo ad diem integrum sudore, ex eodem omni ex parte manante et toto corpore aequabiliter fuso, ex constantia virium et ex facili tolerantia scire licet. Hi enim justi et salutares sunt. Nocentes vero et diminuti, qui parce, qui certis locis et temporibus, qui inaequaliter et intercise, qui viribus collabentibus et corpore aegre graviterque ferente proveniunt. Quibus accedunt etiam alia duo diminuti sudoris indicia, tumor cum livore, et sub cute punctio multa instar pungentium acuum, uti aegri referunt. Quos haec sequuntur, eos quibus ante dixi rationibus ad sudorem revocare consultissimum est, atque ita habere, donec id quod reliquum est educitur, et corpus leve atque alacre redditur. Nam ex interciso nec satis affluente sudore, multos statim aut febris excepit, aut alius morbus qui nec brevis nec solutu facilis erat. Si inter sudores alvus sponte solvitur, tutius est subducta triplicata sindone necessitati naturae inservire, quam aegrum loco movere: quod etiam in quavis alia necessitate sequendum censeo. Etenim de loco in locum, nisi ejusdem lecti, et eum non nisi calidum, sudantem adhuc movere, periculosum esse solet. Declinante jam morbo, nisi necesse est, ad cibum festinare non oportet, antequam accessio ex toto soluta est, sed ea contentum esse quemque confectione, quae manus Christi dicitur, et margaritis odoribusque praeparatur. Si verendum tamen est ne interim deficiat aeger, tum deficientum animum succo mali punici dulcis fulcire, et imbecillitati jacentis cibo vinoque succurrere, vino nec potente nec debili, sed meraco fulvo, et aromatico aut ex hoc

intritis. Cibo leviori sed parco, ut est ex ovo sorbitio, ex carne jus, ex capone expressus aut colatus succus, aut pista caro, quod haec nutriunt et non onerant. Exacta jam accessione, cibus validior atque firmior alienus non erit firmis hominibus et viribus integris. Languentem enim stomachum, et ex febre resolutum, liberalior cibus atque firmior non parum offendit. Itaque a levioribus ad validiora per incrementa deducendus aeger est, et ad consuetos cibos atque condimenta supra comprehensa paulatim revocandus. Super haec solandae vires sunt suavi odore mali aurei limonis, pyri, aut pomi odorati, quo languens Aristoteles usus est, si libro de pomo [64]) credendum est, aut panis recentis atque adhuc calidi, quo vitam migrantem jam prorogavit Democritus, si Laërtio [65]) fides adhibenda: aut eodem ex vino aromatico aspersa mentha; carnium item assarum nidore, et odoramenti, cujus ante compositionem exposui, cum de praeservatione egi, grato odore. Etenim nihil aeque vires reficit aut spiritus recreat, nihil contra ingratam illam et tristem mali speciem (quam anima semper refugit, ut sentinam) quo se anima colligat et soletur aeque facit, atque odoris gratia, uti in primo nostro libello de medendi methodo diximus, ubi abunde de reficiendis viribus methodo proposuimus. In exemplis sunt Scotus quidam, qui per nostra tempora oberrabat in Italia et Britannia, et mulier quaedam Britanni: qui sub custode perpetuo, haec Henrici octavi regis Britanniae, ille magnatum quorundam in Italia et Britannia mandato vixerant, haec ad annum integrum, ille ad menses aliquot sine cibo potuque, soloque odore [66]). Quod certe insue-

---

64) Vid. de hoc libro spurio Fabric. bibl. graec. T. II. lib. III. 6. n. 37 3. p. 166 ed. vet. et. Tom. III. p. 281. ed. Harles. — G. —

65) De vit. dogmat. et apophth. philos. Amstel. 1692. Lib. IX. p. 572.

66) Conf. Jo. Wierus, De comment. jejun. Opp. p. 748. P. Lentuli Hist. admiranda de prodigiosa Apoll. Schreierae inedia c. aliis Bern. 1604. C. I. Lochau, Wahrhafte und ausführl. Beschreib. eines besond. u. merkwürd. Casus inediae. Hamb. 1792. Fl. I. Voltelen, Diatr. memorabilis septennis apositiae historiam exhib. L. B. 1777. I. G. Hössle, Krankengeschichte der A. M. Zettlerin, welche 10 Jahre lang ohne Speise und Trank lebte. 1780. Fr. I. Hofer's Philos. med. Gedanken von dem so seltenen als merkwürdigen Zustande d. M. Monika Mutschlerin. Ulm 1774. G. K. Starawasnig, Abhandl. v. d. ausserordentl. Fasten der M. M. Mutschlerin. 1. u. 2. Th. Freib. u. Wien. 1780 — 1782. L. I. Schmidtmann, Wunderb. Geschichte eines Mädch. im Hochstifte Osnabrück, das bereits 18 Monath ohne Speise und Getränke lebt. Hannov. 1805. Hujus vero fraus detecta est a Iust. Grunero, Authentische,

tum, mirum tamen cuiquam videri non debet, quum praesertim qui Gangis fontem accolunt, solis odoribus vivunt. Nullius enim ad escam opera indigent; odore vivunt pomorum sylvestrium, longiusque pergentes, eadem illa in praesidio gerunt, ut olfactu alantur; quod si tetriorem spiritum forte traxerint, exanimari eos certum est. Itaque refocillitatis jam spiritibus si opus est, superest se vestibus aeger aut exuat si indutus est, atque lectum petat tepidum ad horam unam atque alteram, si id aut ferat aut expetat; ut molli pluma et aequabili, simplici nec convuluta ut antea veste, se corpusque labore fessum colligat atque recreet, more eorum qui balneo sudarunt: aut induat, si posita prius veste nudus est sed siccato ante utrisque corpore (huic praesertim calido linteamine curiosius sub tegumentis) quam de lecto surgant. Quod etiam per reliquam accessionem concedere licet, quod munditie natura delectatur, sudor promovetur, et aeger solatur; hac observatione tamen, ut ne aër per imprudentiam nec opinantibus irrumpat, et sudorem fluentem in exitu strangulet, atque aegrum. Ubi jam surrexerit qui insudarit, statim in apertum aërem eum prodire tutum non est. Nam exhaustum et rarum corpus, languentes spiritus, et fractas vires, si subitus, frigidus et insuetus aër excipiat, impendio naturam cogit, et liberaliori quam par est alvi fluxione vitam saepe finit. Id quod anno hoc quinquagesimo et altero ultra mille et quingentos quo haec scripsimus, bene multis apud nos evenisse usu compertum est. Quamobrem ne se aperto aëri committat aeger ante secundum aut tertium diem, moneo, neque ei nisi sereno et tranquillo.

Hic ordo felicis curationis hujus pestilentis Ephemerae, haec observatio est. Quem praecessit quemadmodum sanos aegre conveniat, ut se a malo tueantur: quid id sit et appelletur: ex quibus causis oriatur, et quibus temporibus: quibus indiciis deprehendi possit, et quibus molestum sit: quas personas magis premat, et quibus rationibus.

JO. CAII DE EPHEMERA BRITANNICA LIBRI FINIS.

---

actenmässige Erzählung und Betrügerei eines angebl. Wundermädchens etc. Berl. 1800. — G. — [Conf. Casum inediae a Kiesero (Klinische Beiträge. Leipz. 1834.) relatum. — H. —]

PARS SECUNDA.

FRAGMENTA HISTORICA

ET

MEDICA.

I.

FRAGMENTA ANGLICA.

1.

ANONYMUS.

In [1]) Richardi abbatis locum successit et electus est praefatus Lambertus Fossedyk — decimo secundo die Januarii, anno regni regis Edwardi tertii primo, cum tunc ecclesia Romana computabat annum domini millesimum quadringentesimum octagesimum quartum per rationem supra [2]) tactam.

---

1) Rerum anglicar. scriptor. veter. T. I. Oxon. 1684. f. et quidem Historiae Croylandensis Continuatio p. 569. Insula Croylandiae, quam rex Ethelbaldus monachis S. Benedicti anno 716 donarat, sita est in Lincolniae comitatu, dicta ab Ingulpho sacrae societatis magistro (p. 3), „palustris humus Croyland ut ipsum nomen indicat. Nam crudam terram et coenosam indicat," tota paludibus circumfusa, teste idoneo Camdeno (Britannia magna, p. 223. ed. Amstel.). Eadem descriptio est in Monastico anglicano, Lond. 1605, p. 163. „Croyland est una insularum jacentium in illo tractu orientalium stagnorum, quae a meditullio terrae orientia et per centum et eo amplius milliaria fluentia in mare multis et magnis fluminibus impetu suo praecipitantur."

2) Hic locus plurimum facit ad primam luis sudatoriae originem a. 1485 vel 1486 recte constituendam. Ita enim ipse auctor p. 551: „Nascitur Elizabetha regis filia primogenita, anno domini secundum cursum computationum ecclesiae anglicanae millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, ecclesiae vero romanae millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto." Rationem computationis diversae hanc reddit p. 552: „Post transacta utcunque apud Londonias festa natalia, cum tempus jejunii quadragesimalis anno domini secundum computationem ecclesiae romanae millesimo quadringentesimo septuagesimo appropinquaret, ipse rex se tenet Londoniis" et paullo post „electus est in aetatem monasterii decimo tertio die Febr. anno regis supradicto, qui erat annus domini millesimus quadringentesimus sexagesimus nonus, secundum computationem coclesiae anglicanae, romanae vero septuagesimus."

Non enim ad duos annos in statu abbatiali vivens pervenerat. Et ecce, subito ingruente lue seu peste sudatoria, quae paucis diebus in civitate Londoniarum duos majores, quinque aut quatuor aldermannos atque alibi per totum regnum plures de superioribus valentioribusque personis extinxit. Is bonus pater, eadem aegritudine tactus non excessit octodecim horas quod non reddiderat creatori spiritum suum decimo quarto die Novembris anno dom. millesimo quadringentesimo octagesimo quinto, parum post finitum regnum regis Richardi. —

Dum haec quae supra tacta sunt in illis partibus acciduis ultro citroque agerentur, et rex ille adhuc in dicta civitate Oxoniae permaneret, Henricus, comes Richmondiae, harum turbationum igna-

---

Iam vero proxime sic pergit: „Libet propter instructionem juvenum, qui forsan hujus computationis varietatem seu saltem causam ipsius non intelligunt, paucis verbis explanare, quomodo esse poterit, quod Romani, qui computant ab actu posteriori, videlicet a nativitate, praecedunt nos qui computamus a priori, videlicet ab incarnatione, per omne id tempus, quod a festo nativitatis usque ad festum annunciationis dominicae annis singulis intercurrit, omni residua parte anni nobis atque ipsis in numeri identitate per totum consonantibus. Pro quo intelligendo notandum est, quod chronographi, qui annalia sive singulorum annorum gesta conscribunt, duos habent modos terminandi annum; unus est, quod ab initio actus, quem notare volunt, computant integram revolutionem motus solis, donec pertransierit zodiacum trecentos sexaginta quinque dies, et ita computat ecclesia anglicana, non finiens primum annum alicujus rei, quae accidit, donec tot trecenti sexaginta et quinque dies ab initio actus effluxi sunt. Et ideo finit et terminat singulos annos incarnationis dominicae, super qua computationem suam (ut plurimum) facit semper in eodem die, a quo mysterium actuale ejusdem dominicae incarnationis coepit. scil. in festo annunciationis. Romani autem ob antiquam reverentiam, quam debebant Iano deo, a quo mensis Januarius nomen tulit, omnes annos suos incipiunt in primo die Januarii et finiunt in ultimo die Decembris, quocunque mense intermedio ille actus, quem notare voluerunt, accidebat, et ideo secundum eos primus annus nativitatis domini, super qua Romani de more compotum suum faciunt, finiebatur ab initio illius adhuc in septem diebus, itaque in primo die Januarii proximo tunc sequenti apud eos incepit secundus annus. Cognito ergo isto modo aequivoco terminationis anni, certum est, quod in re ipsa non est error, sed quod secundum primum modum computandi jam est, nisi annus domini millesimus quadringentesimus sexagesimus nonus usque ad festum annunciationis, et tum juxta secundum modum, quo incipitur semper novus annus in Januario, potest dici, quod est annus millesimus quadringentesimus septuagesimus. Confirmatur is modus initiandi et terminandi singulos annos more romano, ex compotis manualibus et per consuetum calendarium ecclesiae, cum in primo die Januarii semper literae dominicales, quae per unum integrum annum deserviunt, immutantur.“ — G. —

rus, cum certis navibus infra ora portus de Pleymouth se atque suos, cum quibus e Britannia navigaverat, rerum certitudinem exploraturus, reponebat. Denique, perlato ad eum, quomodo se res habebant, tam de morte ducis Bukynghamiae, quam de fuga tenentium partem suam, levatis velis in alta maria denuo se commisit. —

Pater tamen rex nihilominus suarum partium defensioni vacavit. Fama enim tunc erat, quod proscripti et exules supra memorati, cum suo capitaneo, comite Richmundiae, cui omnes illi absentes sub spe matrimonii cum filia regis Eduardi contrahendi, tanquam suo regi, fidelitatem praestiterant, brevi applicarent in Angliam. —

Dictum est ei (regi) ab exploratoribus suis maritimis eodem die — quod — adversarii, qui absque ulla dubitatione sequenti jam aestate (1485) regnum intrabunt aut intrare conabuntur. —

Denique, crescentibus in dies rumoribus, quod regis rebelles adventum suum in Angliam maturant et accelerant, rex autem dubius, in quo portu applicare intendunt — se transfert versus aquilonem. —

Illi primo die Augusti in nominatissimo illo portu Milford prope Pembrochiam prospero flato, nulla inventa resistentia, applicuerunt. —

Parum ante istorum hominum appulsum, Thomas de Stanley, senescallus hospitii regis, accepta licentia, ut in patriam suam Lancastriae, domum et familiam suam, unde diu aberat, visurus transiret, non aliter ullam ibi moram trahere permittebatur, nisi filium suum primogenitnm — Notinghamiam ad regem loco suo transmitteret. Quod et fecit. Deinde, hominibus istis, ut praefertur, apud Milfordiam Walliae appulsis, facientibusque iter suum per aspera et indirecta partium borealium illius provinciae, ubi Willielmus Stanley, frater ejusdem domini senescalli, utpote camerarius de Northwales, singulariter praesidebat, misit rex ad dictum dominum de Stanley, ut, omni postposita mora, sese regis conspectui apud Notinghamiam praesentaret. Timuit enim rex, quod accidit, ne mater dicti comitis Richmondiae, quam dictus dominus de Stanley habuit in uxorem, maritum ad partes filii tuendas induceret. Ille autem mirabili (modo?) pestem sudatoriam, qua laborabat, allegans venire non potuit. — —

In his primordii novi regis invaluit pestis sudoris, de qua supra tetigeramus, et qua praefatus abbas Croylandiae, Lambertus, decessit in fata decimo quarto die Octobris.

2.

POLYDORUS VIRGILIUS.

Eodem anno (1486 [1]) novum morbi genus pervasit per totum regnum sub primum Henrici in insulam descensum dira quidem lues, et quam nulla sit aetas antea, quod constet, perpessa. Subito enim sudor mortifer corpus tentabat, ac simul dolor caput stomachumque vehementi caloris ardore affectum angebat. Quo in morbo homines, qui a principio erant, quia alii aestus minus patientes, si in lecto erant, stragula dimovebant, si vestiti, vestes deponebant, alii sitientes frigidum potum sumebant, alii demum patientis caloris foetorisque (nam sudor grave olebat,) additis stragulis, sudorem provocabant, aeque omnes aut illico, aut non multo post, quam sudare coepissent, moriebantur, ita ut ex omni aegrotantium numero vix centesimus quisque evaderet. Neque ulla interim medicorum ars aut scientia quicquam opitulabatur, quod morbi novitas omnem illorum excluderet peritiam. Verum post viginti quatuor horas (tanto temporis spatio vis ejus morbi saeviebat) abeunte sudore, nonnulli confirmabantur, non eo tamen ita expurgati erant, quin iterum in morbum reciderent, multique inde perirent. Sed ea res remedium tanto malo ad ultimum monstravit. Nam qui semel primo sudarant, cum deinde rursum aegrotarent, observabant ea, quae in prima curatione profuissent, et illis pro remedio utentes addebant semper aliquid ad curationem utile. Item et illi iidem, cum iterum in idem valetudinis genus inciderent, ex priore observatione earum rerum, per quas se confirmassent, ita se curare didicerunt, ut vim sudoris illius facile tolerarent. Quibus rebus ita usu venit, ut post ingentem mortalium stragem remedium unicuique promtissimum inventum sit, quod hujusmodi est. Si quis interdiu sudore corripiatur, cum vestitu protinus cubatum eat, sin noctu et in lecto, tum quiescat, nec se e loco moveat, usque ad viginti quatuor horas

---

1) Historiae Anglicae libr. XXVII, auct. Polydoro Virgilio, Urbinate. Ex nova edit. Ant. Thysii. L. B. 1651. 8. Epistola nuncupatoria Henrico VIII. regi scripta est Londini a. 1533. Locus legitur l. XXVI, p. 720. in edit. Basil. 1570 f. p. 567. — Fuit Virgilius primum pontifici Rom. a cubiculo (v. Saxii Onomast. T. III. p. 93), deinde archidiaconus ecclesiae Wellensis in Anglo-Britannia; discessit ex Anglia a. 1550. Erasmus Roterod. jam a. 1521 ad eum literas dedit (Ep. 602. p. 671. ed. Lugd.). — G. —

exactas. Interim ita se stragulis oneret, quo non provocetur sudor, sed sua sponte molliter stillet; cibi nihil capiat, si tam diu famem tolerare possit, neque plus potionis consuetae ac calfactae hauriat, quam modice satis sit ad sitim exstinguendam. Inter hanc curationem imprimis caveat ne manum quidem aut pedem refrigerandi recreandique causa extra stragula proferat, quod facere letale est. Hoc remedium est novo morbo inventum qui tantum Angliam id temporis pervasit et posthac saepe graviter afflixit. Atque annus primus, cum regnare coepit Henricus, tali fuit peste insignis. Id quod jam tum in vulgus opinio tulit prodigium esse duri ejusdem regis futuri imperii, atqui potius, si quid veri vana potest monstrare religio, portendit Henricum usque ad extremum vitae spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum esse ducturum, quando ab initio coepit suorum seditionibus vexari, adeo, ut nunquam ei postea per illas licuerit esse quietum securumque. —

3.

HOLINSHED.

A. 1486. In [1]) this same yeare a new kind of sickenes invaded suddenlie the people of this land, passing through the same from the one end to the other. It began about the one and twentith of September, and continued untill the latter end of October, being so sharpe and deadlie, that the like was never heard of to anie mans remembrance before that time.

For suddenlie a deadlie burning sweat so assailed their bodies, and distempered their blood with a most ardent heat, that scarse one amongst an hundred that sickened did escape with life: for all in maner as soone as the sweat tooke them, or within a short time after, yeeldee the ghost. Beside the great number, which deceassed within the citie of London, two majors successivelie died within eight daies and six aldermen. At length, by the diligent observation of those that escaped, (which marking what things had doone them good and holpen to their deliverance) used the like again. When they fell into the same disease, the second or third time, as to diverse it chanced, a remedie was found for that mortall mala-

1) Holinshed's Chronicle 1578. p. 763.

die, which was this. If a man on the day time were taken with the sweat, then should he streight lie downe with all his clothes and garments, and continue in his sweat foure and twentie houres, after so moderate a sort as might be.

If in the night he chanced to be taken, then should he not rise out of his bed for the space of foure and twentie houres, so casting the clothes, that he might in no wise provoke the sweat, but lie so temperatlie, that the water might distill out, scaftlie of the owne accord, and to absteine from all meat, if he might so long suffer hunger, and to take no more drinke, nether hot nor cold, than would moderatelie quench and asswage his thirstie appetite. Thus with lukewarme drinke, temperate heate, and measurable cloths manie escaped: few which used this order, (after it was found out) died of that sweat. Marie one point diligentlie above all other in this oure is to be observed, that he never die put his hand or feet out of the bed to refresh oor coole himselfe, which to doo is no lesse ieopardie than short and present death. Thus this disease comming in the first yeare of king Henries reigne, was iudged (of some) to be a token and signe of a troublous reigne of the same king, as the proofe partlie afterwards stewed it selfe.

Anno 1507. This yeare [2]) the king began to be diseased of a certeine infirmitie, which thrise everie yeare, but specially in the springtime sore vexed him. And bicause for the most part the harme, that chanceth to the prince, is parted with his subjects, the sweating sickness, which (as ye have heard) in the first yeare of the king first afflicted the people of this realme, now assailed them againe; howbeit by the remedie found at the beginning of it, nothing the like number died thereof now this second time, as did at the first time, till the said remedie was invented.

Anno 1518. — — There [3]) came a plague of sickenesse, called the sweating sickenesse. — —

This maladie was so cruel, that it killed some within three houres, some within in two houres, some merrie at dinner, and dead at supper. Manie died in the kings court the lord Clinton, the lord Graie of Wilton, and manie knights, gentlemen and officers.

---

2) H. p. 794.
3) H. p. 844.

For this plague Michaelmasse tearme was adiourned, and bicause thaf this maladie continued from Julie to the midst of December, the king kept himselfe ever with a small companie, and held no solemne Christmasse, willing to have no resort for feare of infection: but much lamented the number of his people, for in some one towne halfe the peopel died, and in some other towne the third part, the sweat was so fervent and infectuos. By the extremitie whereof, and the multitudes with such suddennesse and present mortalitie dropping awaie: it should seeme, that the little remembred, or at leastwise neglected the preservative remedie used in the first great sweating sickenesse in king Henrie the sevenths time, whereby as then manie a mans life was saved, so now the like benefit (by applieng of the same wholesome meanes) might have redounded to the patients.

Anno 1528. In the end of Maie [4]) began in the citie of London the disease called the sweating sickenesse, which afterwards infected all places of the realme, and slue manie with within five or six houres after they sickened. This sickenesse, for the manner of the taking of the patients, was an occasion of remembring that great sweat, wich raged in the reigne of this kings grandfather; and happitie men caused the same remedie then used to be revived. By reason of this sickenesse the tearme was adjourned, and the circuit of the assises also. There died diverse in the court of this sicknesse, as sir Francis Poins, which had beene ambassadour in Spanie, and diverse others. The king for a space remooved almost everie daie, till he came to Tintinhangar, a place of the abbat of saint Albans, and there he with the queene, and a small companie aboud them, remained, till the sickenesse was past. In this great mortalitie died sir William Compton Kneight, and William Carew esquier, which were of the kings privie chamber.

Anno 1551. In [5]) the end of this parlement, namelie the fiftenth of Aprill the infectious sweating sicknesse began at Shrewesburie, which ended not in the north part of England untill the end of September. In this space what number died, it cannot be well accounted; but certeine it is, that in London in few daies

4) H. p. 906.
5) H. p. 1066.

nine hundred and sixtie gave up the ghost. It began in London the ninth of Julie, and the twelfth it was most vehement: which was so terrible, that people being in the best helth, were suddenlie taken, and dead in foure and twentie houres, and twelwe, or lesse, for sacke of skill in guiding them in their sweat. And it is to be noted, that this mortalitie fell cheeflie or rather upon men, and those also of the best age, as between thirtie — fortie years. The speedie riddance of life procured by this sickness did so terrifie people of all sorts, that such as could make shifte either with monie or freendship, changee their soile, and leaving places of concourse, betooke them (for the time) to abodes, though not altogither solitarie, yet lesse frequented: to conclude, manifold meanes were made for safetie of life. The first weeke died in London eight hundred persons.

The manner of this sweat was such, that if man did take anie cold outwardlie, it stroke the sweat in, and immediatlie killed them. If they were suffered to sleepe, commonlie the swooned in their sleepe, and departed, or else died immediatlie upon their waking. But the waie to escape danger was close keeping moderatlie with some aire and a little drinke, and the same to be posset-ale and so to keepe them thirtie houres, then was the danger past; but beware of sudden cold. Before men had learned the manner of keeping, an infinit number perished. This disease at that time followed Englishmen, none other nation; for in Antwerpe and other countries, our Englishmen being there amongst diverse other nations, onelie our Englishmen were sicke thereof, and none other persons. The consideration of which thing made this nation much afraid thereof, who for the time began to repent and give almes, and to remember God, from whom that plague might well seeme to be sent among us. But as the disease in time ceased, so our devotion in short time decaied.

4.

NICOLAUS SANDERUS.

A. 1550. Atque [1]) ut in rebus fidei ac religionis haec mon-

1) Nicol. Sanderi de origine ac progressu schismatis anglicani l. III. Lond. 1588. 8. item Ingolst. 1588. — Vera et sincera historia schismatis angli-

stra inaudita quotidie fere his temporibus nascebantur, ita etiam aliis in rebus non pauca divinae irae judicia in Anglia visebantur. — Tamesis etiam fluvius, quo Londinum alluitur, ad decimum sextum calendas Januarias infra novem horas ter praeter omnem consuetudinem fluxit et refluxit. Eodem etiam anno sudatorius quidam pestifer morbus, nunquam antea medicis cognitus, universam Angliam pervasit, et infinitam fere hominum multitudinem prostravit, adeo ut in una civitate Londinensi intra dies septem octingentos vita privaverit, et alibi plurima hominum millia suffocarit. Nec tamen ullam pestis naturam referebat, sed plane miraculo prodigioque datum est, quo Dei bonitas Anglos admonere voluit peccati maximi quod in ipsum peccaverant, sed perditis nihil profuit.

5.

FRANCISCUS GODWINUS.

Anno Christi 1517 mensibus Augusto et Septembri [1]) pestifero sudore, morbo prioribus saeculis incognito, laboratum est. Inter plebejos innumeros proceres nonnulli, barones videlicet Clintonius et Greyus de Viltona, hac lue sublati perierunt. Symptomata et remedium petas e Polydoro Virgilio (in anno primo Henrici VII.) qui tum primum mortales eum vexare coepisse fidenter, et, ut opinor, vere pronuntiat. Hoc malo vanescente pestilentia per totam hiemem in plurimis regni partibus saeviit, adeo, ut contagionis periculum rex (Henricus VIII.) veritus modo huc modo illuc cum paucis famulorum secedere cogeretur. —

Anno Christi 1527 Pointzius (orator) domum incolumis reversus sub initium aestatis anni proximi (1528) sudore pestifero quo de morbo antea nonnihil dictum est, correptus in ipsa regia paucarum postea horarum spatio exspiravit. Id cum aliis etiam

---

cani, conscripta ab R. D. Nic. Sandero, Anglo, Doct. theol. aucta per Ed. Rishtonum. Col. Agripp. 1628. 8. l. II. p. 218. — Fuit Sanderus sacerdos Anglus, mortuus est a. 1585. — G. —

1) Rerum Anglicarum Henrico VIII., Eduardo VI. et Maria regnantibus Annales. [Ex officina Nortoniana, 1616. f. — H. —] Lond. 1628. Hag. Com. 1653. lib. I. p. 51. — Anglice quoque prodierant Godwini annales sub titulo: „Annales of England“ vertente Morganio Godwino. Lond. 1675. f. Auctor se primo libro studiosum (historiae Anglicae) nominavit, et Polydorum Virgilium, Italum, ex linguae patriae inscitia hinc inde multum errasse censuit.

aulicis nonnullis contigisset, et Londini lues illa multum grassaretur, justitium ibidem indictum est, et rex cum parvo comitatu nunc has nunc illas regiones obequitavit contagionis habitationes loca subinde mutare coactus est. —

Anno Christi 1551 Reg. s. Eduardi sexti [2]). Oppidum est quoddam ad limites Walliae situm, quod Salopia nuncupatur. Ibi loci Aprilis XV. morbus gravis ac pestilens originem sumsit, qui plurimas Angliae regiones hoc anno pervagatus in septentrionali regni plaga circa calend. Octobr. vix tandem evanuit, edita prius ubique tanta mortalium strage, ut defunctorum numerus inveniri omnino non potuerit. In sola Londinensi civitate 800 intra septem dierum spatium absumtos constat. Haec lues temporibus Henrici VII. primum in hac nostra insula olim grassata anno 1486. Ad alios postea nationes emanavit, et a loco, ubi primum nata, sudor anglicus appellata. Eo nempe correpti sudore affatim affluebant, et intra horas XXIV animam plerumque exhalabant multis ne ad duodecimam quidem perdurantibus. A Joanne Stoo proditum reperi, honestos homines septem, qui patres familias exstiterunt, simul vesperi convivatos hoc tempore, eorumque sex ante horam octavam diei sequentis (hoc est hora XIII vixdum elapsa) extinctos esse. Feminae, pueri aut senes hoc malo raro correpti, nec alii fere, quam juvenes in media aetate constituti, qui si in principio morbi vel paululum obdormissent, illico interibant. Pauci etiam evaserunt, quos morbus saturos invasit, imo et ceterorum vix centesimus quisque ab initio revaluit, donec tempus malo remedium monstravit, quod hujusmodi est.

Si quis interdiu coeperit aegrotare, sic ut erit vestitus decumbat, sin noctu et in lecto, quiescat, nec se e loco moveat usque ad XXIV horas exactas. Interim ita se stragulis oneret, ut non provocetur sudor, sed sua sponte molliter stillet, cibi nihil capiat, si tam diu famem tolerare possit, neque plus potus consueti ac calefacti hauriat, quam modice satis sit ad sitim restinguendam. Super omnia vero imprimis cavendum, ne manum aeger aut pedem sui refrigerandi causa extra stragula proferat, quod facere letale est [3]).

---

2) l. c. I. p. 117.

3) [Verba „Siquis — letale est“ ex Polydoro Virgilio. (p. 410) sunt depromta. — H. —]

Hujus morbi novitatem adeo non miror, teste Plinio lib. XXVI. cap. 1. imo et experientia quotidiana, novos subinde oriri. Illud maxime mirabile judico, nostrae gentis homines hac tempestate ubivis terrarum degentes hoc malum afflixisse intactis incolis, nisi in nostra duntaxat Anglia. Pestis igitur haec tam dira et immanis multos mortales absumsit, interque ceteros nonnullos spectatos clarosque viros, quorum facile princeps Henricus, Suffolciae dux, ac deinde frater suus, qui Brandoni filii regisque consobrini, indolis praeclarae adolescentes, hoc morbo interierunt. Primus nempe Henricus, tamque paucarum horarum intervallo secutus eum frater, cum ducis titulum, ad se germani morte delatum, ne integrum quidem diem usurpasset. Ita is honor ad Henricum Graium, Dorsetiae marchionem, hereditario jure devolutus videbatur, qui Franciscam, Brandoni filiam natu maximam, habebat in matrimonio. Octobris itaque undecimo Suffolciae dux declaratus est.

6.

EDUARDUS HERBERTUS.

(Anno 1517.) Shortly [1]) after the sweating sickness (call'd for the propiety by which is seized on the English nation chiefly, sudor Anglicus) did much infect the Kingdom, being of that malignity as within the space of three hours it kill'd. This caused the King to leave London, and adjourning three terms, 1517. to remove Trinity terme 1518. to Oxford, where yet it continued but one was day, and was adjourned again to Westminster. Nevertheless divers Knights, Gentlemen and Officers in the Kings court dyed thereof; as the Lord Clinton, Lord Grey of Wilton, and others of quality; the vulgar sort so commonly perishing, as in some towns it took away half the people, in others the third part. —

While this Treaty was on foot [2]), Petro Lando with thirty Venetian Galleys, blocks up Naples by sea, so that now it seem'd impossible for it to hold out, yet the hand of God is above all. For a kind of Pestilence (which sandovall calls Negra or black) so universally seized on the French that they diminished daily in great

1) The Life and Reigne of King Henry the eigth — by Edward Lord Herbert of Cherbury. Lond. 1649. f. p. 69. ed. Lond. 1741. p. 62.

2) Ibid. p. 214.

numbers, and among them Sir Robert Jerningham, whose company therefore was given to Master John Carew, his Lieutenant, who yet dyed there of the same disease. At last also Lautrech himself (a brave Commander) dyed of the disease and huge numbers of others; wich so disheartned the French, that the weak remainders wanting (besides their health) money victuall etc. raised the siege, and retir'd homewards. And thus, successively, were two great armies consum'd with the plague, without other force, as it usually happens, when people, not acguainted with the temper, wines and fruits of a Country, live licentiously. — —

(1528.) As the plague [3]) destroyed the French in Italy, the sweating sickness consum'd very many in England; it seeming to be but the same Contagion of the Air, varied according to the Clime.

It was first known in England 1486. 1507. 1517. and 1528. when it so raged, as it kill'd ordinarily in five or six hours space, invading even the kings-court, where not only Sir Francis Pointz, Sir William Compton and Mr. William Cary, two of the kings bed-chamber, dyed of it, but the king himself was not without danger.

In Germany (1529) also it did much harm, killing many, and particularly interrupting a Conference at Marpurg, betwixt Luther and Zwinglius, concerning the Eucharist. —

7.

JOANNES FULLER.

1551. Henry Brandon, Duke of Suffolk [1]), Son of Charles Brandon, by Katherine Lady Willoubie, died at Cambridge, where he was a Student, of the sweating sicknesse.

Charles Brandon, Duke of Suffolk, younger brother to the same Henry, died within twelwe hours of the same disease. They were much bemoaned of the University. — — — Many in Cambridge died of this sweating sicknesse, patients mending, or ending in twenty four houres. Some sought, for the naturall cause thereof out of the heavens, imputing it to the conjunction of the

3) Ibid. p. 190. ed. Lond. 1741.

1) History of the University of Cambridge by J. Fuller. 1655. f. p. 128.

superiour Planets in Scorpio, Others looked for it from the earth, as arising from an exhalation in moist weather out of Gipsons or plaisterly ground. The cure thereof (conceived impossible before, and easie as all things else, after it was found out) was in the night time (if then seised on) to send the sickman (though in his clothes) to bed, there to lie still, but not sleep for four and twenty hours. Nothing else have I to observe of this sicknesse, save, that I find Forrainers call it the English Sweating, as first arising hence, whitest diseases more sinfull (though it may be not so mortall) take their names from our neighbouring countries.

8.

ANTONIUS A WOOD.

Orta [1]) est Oxonii hoc anno (1485) sub mensis Augusti finem omnium, quae unquam acciderant, violenta maxime et horrenda pestis. Sex enim hebdomadarum spatio academicos plerosque aut jugulavit, aut universitate exturbavit. Exeunte quasi Decembri totum pene regnum pervaserat, inque urbe Londino tantas edidit strages, ut tres ejusdem praetores ante undecimum diem e medio tulerit. Tam praecipiti autem furore grassabatur, ut vel homines intra XXIV horas praefocarit vel spem vitae indubiam praebuerit. A partibus regni orientalibus in austrum et occidentem tendebat, et optimates haud paucos, seculares juxta et eccelsiasticos trucidavit.

Symptomata ejus quod attinet, a scriptore haud incelebri [2]) habebis. „Pestis hujus," inquit ille, symptomata erant lipothymia, virium languor, oris ventriculi morsus, anxietas, cephalalgia, pulsus creber, celer et inaequalis, denique sudor graveolens toto corpore emanans. Aegrotis medius quidam calor conveniebat. Cavendum enim et a frigore erat, et a nimio stragulorum onere, quippe sudorem immodicum provocantium. Quam paucissimi evasere, in alexipharmacis autem temperatis spes unice sita erat. —

(Anno 1504.) Praelectiones [3]) hic suas Andreas Alazardus ad aulam S. Albani obivit. — Viri illius eruditioni tribuen-

1) Historia et antiquitates universitatis Oxoniensis, duobus voluminibus comprehensae. Oxon. 1674. f. p 233. I. Fell, tunc ad aedem Christi diaconus, hunc librum ex anglico latinum fecit. — G. —

2) Car. Valesius, De peste, c. 14. — G. —

3) L. c. p. 239.

dum, quod aula praefata, quam utique penitus vastarat nupera pestis, magno togatorum numero denuo floruerit. —

(Anno 1517.) Turbas ante dictas [4]) excepit teterrima Oxonii lues, quam sudorem tabificum nuncuparunt, quaeque eas nobiscum strages edidit, ut, jugulatis togatorum quam plurimis, reliquos pene omnes dissiparit. Pestium in hac urbe frequentium causam polliciti retro sumus, et sane liceat nobis (qui naturam haud ea indagavimus ratione, ut medicinam exerceamus, aut morborum causas aperire valeamus) conjecturam nostram interponere. Earum quae pluribus retro saeculis contigerant, originem ingenti togatorum numero tribuendam, partim arbitror. Illi enim urbem adeo replebant, ut vel obsessorum (utpote quorum ingruente bello ex agris vicinis magnae undique catervae in oppida solent confluere) mala paterentur, dum habitacula omnibus commoda et salubria minime suppeterent. Pestes novissimas, praesertim quae annis 1507. 1509. 1511. 1512. et 1514 exarsere, in stagnantes utique (propter Isidis nempe et Chervelli aliorumque rivulorum alveos ex oppidanorum incuria coeno oppletos) aquas rejiciendas duco, unde scilicet, detenta cloacarum colluvie, aerem foedis putridisque vaporibus corporum nostrorum humores accendere aptis, inferciri contigit, accedentibus porro diluviis haud infrequentibus, cammarinam istam commoventibus, dum nec intra ripas continerentur fluvii, nec postquam prata invaserant, mature satis decurrerent imbres. Atque hinc Isidem nostram, Nilo dissimillimam, non campis tantum sterilitatem, sed rei literariae inopiam invexisse fatendum est. Caeterum huic malo remedium quaerentes academici — contendebant, ut de expurgandis foviendisque fluviorum alveis operam sibi accomodarent. —

Turbas hasce pestemque hoc nobiscum anno (1528) grassantem antecessere pariter et comitatae sunt gravissimae inter academiam urbemque lites. —

9.

P. v. D.

Environ [1]) ce temps là en la saison de l'Automne et sur la

4) L. c. lib. I. p. 245.

1) Histoire du Regne de Henry VII. Roi d'Angleterre, à Bruxelles, s. a. p. 13. In epistola nuncupata Carolo II. regi Anglorum, subscripsit auctor P. v. D. pertinet vero descriptio ad luem a. 1485.

fin de Septembre la ville de Londres et quelques autres endroits du Royaume furent affligez d'une maladie qu'on n'avoit point encore connue, et qui fut appellée sudorifique, à cause des symptomes et des accîdens, qui l'accompagnoient. Le cours de cette maladie fut prompt, tant en la personne de ceux, qui en furent affligez, que pour le regard du temps de sa durée: car ceux qui en étoient frappez ayant eschappé les vingt-quatre heures, se tenoient comme assurez de n'en mourir pas. Pour ce qui est du temps de ce mal contagieux, il commença environ le 21 de Septembre, et cessa sur la fin d'Octobre, si bien qu'il n'apporta point d'obstacle au Couronnement du Roy, qui fut fait le dernier d'Octobre, ni même à l'assemblée des Estats qui ne commença que sept jours après. C'étoit une fièvre pestilentielle, qui selon les apparences n'avoit son siege ni dans les veines, nî même dans les humeurs, parce qu'il ne s'ensuivoit point de charbon, et qu'en la personne de ceux qui en étoient travaillé, on ne remarquoit aucunes taches livides. Tellement, qu'on pouvoit bien conjecturer, que ce n'étoit qu'une vapeur maligne, qui enveloppant le coeur se saisissoit des esprits vitaux, et ainsi forçoit la nature à un combat violent pour la repousser au dehors par les sueurs. Aussi l'expérience fit voir, que cette maladie étoit plustôt une surprise de la nature, qu'un mal qui s'obstinât contre les remédes, puisqu'il en étoit susceptible, si l'on y pourvoyoit de bonne heure. Car si l'on avoit soing d'user d'une égale moderation envers le patient, ensemble de le couvrir et le faire boire assez chaudement, lui faisant prendre des breuvages propres à fortifier le coeur, et empêcher, que ni l'operation de la nature ne fût irriteé par la chaleur, ni retenue en ses fonctions par une froidure excessive, il ne tardoit gueres à recouvrir sa santé. Cela n'empêcha pas qu'un grand nombre de personnes ne mourût soudainement de ce mal, devant que la methode requise à le guerir fut connue. L'on s'imaginoit aussi que ce n'étoit pas une maladie épidemique, mais qui procedoit d'une certaine malignité de l'air, à laquelle les saisons étoient disposées, ce qui se rendit encore plus manifeste par le peu de durée qu'elle eût.

10.

GILBERTUS BURNETUS.

Hoc tempore (a. 1550 [1]) Londinum invasit sudor solstitialis [2]) qui praecedenti vehementior fuit. Si enim quis frigore corriperetur, trihorii spatio moriebatur. Si vero mortem evaderet, ultra novem aut decem horas ad summum eo laborabat. Si etiam primis sex horis dormiret, ut quidem cupiisset, tunc in delirium cadebat et delirans moriebatur. Adeo invaluit ut in Londinensi districtu decimo die C. hodie [3]) vero CXX obierint, inter alios vero unus e meis nobilibus, et unus e cubiculariis meis, adeo ut Hampton-Curiam cum exiguo admodum comitatu me contulerim. — Eadem nocte advenit Marescallus propter Londini contagium, hodie Richmondiam migravit.

11.

DE LARREY.

Ainsi [1]) tout se preparoit pour la cerimonie du couronnement, qui étoit, fixée au dernier jour d' Octobre, et pour l' assemblée du Parlament convoqué pour le septiéme de Novembre, (1485.) lorsqu'une étrange maladie changea l'allegresse publique en desolation, et porta la frayeur et la mort dans la ville de Londres et dans toute l'Angleterre. Elle étoit causée par une vapeur maligne, qui sans s' arreter dans les veines ni dans les humeurs se couloit droit au coeur. La nature étonnée faisoit contre cet ennemi, qui l'atta-

---

1) Historia reformationis ecclesiae auglicanae. P. I. — in lingua anglica ed. a Guilb. Burnet, in idioma latinum translata a Melch. Mittelholzero, Genev. 1686. f. p. 20. P. II. 1689 f. — Collectio documentorum maxima ex parte autographorum. — Hic locus excerptus est ex diario regis Eduardi VI. a. 1550 m. Julio die nono et undecimo. — G. —

2) In marg. al. sudor anglicus, regionis morbus. — G. —

3) [i. e. undecimo Julii die. — H. —]

1) Histoire d' Angleterre, d' Ecosse et Irlande, avec un abregé des évenemens les plus remarquables arrivés dans les autres etats par Mons. de Larrey — T. I. à Rotterd. 1697. f. p. 4. Luem a. 1507. et 1551. auctor non designavit literis. — G. —

quoit d'une manière si surprenante, des efforts, qui la mettoient toute en eau. Ainsi la maladie commençoit par une sueur, qui ne finissoit que par la mort ou la guerison du malade. S'il ne mouroit dans vingt-quatres heures, il étoit sauvé, et le venin ayant consumé ses forces dans ce periode qu'il n'excedoit jamais, il cédoit à la bonté du temperament, qui en avoit pu soutenir la violence. Peu de gens échaperent d'abord, deux choses quoique contraires leur étoient également funestres, la negligence et le trop grand soin. Il falloit attendre sans se remuer dans son lit ou dans ses habits selon l'etat, où l'on se trouvoit, que la nature qui avoit été surprise se reconnût, sans l'accabler ni des remedes ni d'alimens, ne se couvrir ni trop, ni trop peu, se passer, s'il étoit possible, de boire et de manger, entretenir la sueur sans la provoquer par une chaleur excessive, ni l'arrêter par le moindre froid. C'est ce que l'experience fit connoitre, et ce qu'on pratiqua heuresement dans la suite. On n'avoit jamais ouï parler d'une pareille epidemie, mais on l'a ressentie encore depuis, et on a usé de la même précaution avec le même succés. Il y a bien de l'apparence que ce poison s'étoit formé dans la moyenne region par des vapeurs malignes qui corrompoient l'air qu'on respiroit. Deux choses le persuadent, sa generalité, (car il se repandit dans toute l'Angleterre presqu'en un même jour,) et sa courte durée. Il commença à se faire sentir le 21 de Septembre, et après avoir fait perir une infinité des personnes, il cessa tout d'un coup sur la fin d'Octobre. Quelques-uns augurerent mal d'un regne, qui commençoit par une sueur mortelle. — L'air s'etant purifié ramena la santé et la joye. —

Ces [2]) troubles étoient à peine apaisés, qu'une autre malheur plus funeste affligea le royaume. (a. 1516.) Cette fatale sueur, qui avoit tant fait perir de monde sous le regne de Henri VII se fit sentir une seconde fois, et ne fut ni moins generale, ni moins dangereuse, que la première. Mylord Clinton, Mylord Grey et plusieurs autres personnes de qualité en moururent. Les campagnes furent desolées, et les villes depeuplées, quelques-unes ayant perdu le tiers de leurs habitans et d'autres la moitié. Le roi se retiroit tantôt à Oxford, et tantôt à West-

2) Ib. p. 129. regnante Henrico VIII. Pro une seconde fois leg. troisième.

minster, selon que la maladie étoit plus ou moins violente en un endroit qu'à l'autre. Elle cessa enfin tout d'un coup, comme la premiere fois, et les villes furent bientôt repeuplées. —

Avant [3]) qu' il arrivât en Angleterre, une maladie épidemique se fit sentir (1528.) dans la plûpart de ses provinces. Elle étoit de la même nature, que celle qui avoit paru pour la première fois dans ce Royaume au commencement du regne de Henri VII et qu'on nomma la sueur Angloise. Elle n'y fit pas de si grands ravages, mais elle ne causa pas de moindres allarmes. L'Ambassadeur de France [4]), qui sua, à ce qu'il dit, comme les autres, ajoûte que plus de cent mille personnes avoient fait leur testament. Toux ceux qui en étoient attaqués ne mouroient pourtant pas. Non seulement il en échapa lui même, mais il dit que de quarante mille qui firent malades à Londres, il n'en mourut que deux mille. Il nous apprend aussi que cette sorte de peste semblable à celle de 1486 se guérissoit, comme la première, en se tenant en repos, et que le moindre froid la rendoit mortelle. La maison du roi n'en fut pas exemte, et deux de ses chambellans en moururent. Il ne sortit pourtant de Londres, où la maladie n'avoit commencé que plus d'un moi après. Il se confessoit tous les jours, et communioit toutes les fêtes. C'est ainsi que la peur de la mort inspire une dévotion aparente ou véritable. Anne de Boulon étoit alors chez son pére dans la province de Kent, où cette sueur fit plus de desordre qu'en aucune autre contrée. Elle n'épargna pas cette maitresse du roi, son père, et ils en furent dangereusement malades, mais ils en échapèrent tous deux. —

12.

STRYPE.

(1551 [1]). The plague of Sweat was this Summer very severe, and carried away multitudes of people, rich and poor, and especially in London; where in one day viz: July 10 died an hundred

3) Ib. p. 245. In not. Campegge, Legat du Pape.

4) De Bellay, Eveque de Bayonne. Voyes ses lettres dans le recueil de M. Le Grand. — L. Ergo exteri non tuti a lue sudatoria fuerunt in Anglia. — G. —

1) Hist. Memorials Ecclesiastical by Strype. Lond. 1721. f. T. II. p. 217. seq.

and twenty. And it came even into the Kings family about this time, wich caused hem to retire to Hampton-court. The King had given order to a great many persons, both of the nobility and Gentry, to attend the French Ambassador, as well to shew the Kings Magnificence, as the honour he intended for the said Ambassador. But in this Month of Iuly a Proclamation came forth for all Gentlemen, to return home again, that were appointed to attend against the coming of the French Men, and not to pester the Ambassador's Lordging, for fear of te sweat.

Among the Persons, this Sweat took away, Henry Duke of Suffolk, and the Lord Charles his Brother, were greatly lamented, not only because of their Quality, but theer Hopes, who, July 16. died both in one Bed.

They died both this fatal July at Buckdem the Bishop of Lincoln's House, wither they were retired to avoid the Sickness, being all the male Issue of that most illustrious Prince Charles Duke of Suffolk, and of his second Wife Catharine. —

July 10. by reason of this new sweat, the King removed from Westminster to Hampton-Court. For there died certain beside the Court, wich caused the King to be gone so soon, the Lord Cromwel in Lincestershire died, and the Lord Powis, Sir John Luttrel Kt. a noble Caplain, Sir Thomas Speke, Kt. who fell sick at the Court, Sir John Wallop, of the Order of the Garter, and Captain of the Castle of Guisnes, a Soldier of great Worth and Desert, and one Sir Peryn Negroo Kt. besides the two young Dukes. All these died in July, within a few Days one of another. As in the next Month, within two Days, three considerable Heirs were carried off with the same Infection viz: August 20. Henry Williams, Son and Heir of Sir John Williams, after Lord Williams of Thame. August 22. the Son and Heir of the Lord Sands, and Sir Richard Lister, Son and Heir of the Lord Chief Justice of that Name.

From the 8th of this Month of July unto the 19th, there died in London of this Sweat 872. and no more in all, was certified in to the Lord Chancellor. — —

Jul. 15. Letters were sent from the Council to al Bishops to persuade the People to prayer, ant to see God better served. Which was upon the Apprehension of the Judgment of the Sweating Sickness, then forely afflicting the Nation. —

The Sweating Sickness tho so violent in July, yet the next Month it marvelously abated. Insomuch that in a Letter, wich the King wrote in his Progress, dated August 22. to Fitz-Patrick, he said, that the most part of England, at that Time was clear of any dangerous or infectious Sickness. —

II.

FRAGMENTA BELGICA.

1.

JOANNES SECUNDUS.

In libellum Joachimi Rolandi, Macliniensis medici, de novo morbo sudoris.

Qui [1]) cupis ignotae naturam discere pestis
Et formidatae doctus opus furiae
Spicula securus vapidae contemnere mortis,
Accipe qua vites callidus arte malum.
Accipe qua tollas cum jam penetraverit ossa,
Accipe, qua claudas et redeuntis iter.
Scilicet haec multo tibi dat sudata labore
Gloria Macliniae lausque vel una suae.
Primus Apollinea Joachimus in arte medendi,
Quae nuper miseros tum latuere homines,
Heu, quot in ardenti fumarunt corpora lecto,
Mortis et ignotae extimuere vias.
Heu, quot ubique animas exsudavere tepentes
Transmissi Stygiis in nova regna vadis! —

1) Joannes Secundus, Epigrammatum libri. L. B. 1631. Epigr. 47. p. 113. — Opera, accurate recognita, ex museo P. Scriverii. L. B. 1651. Epigr. 47. p. 111. Vixit poeta suavissimus, Ge. Egmundano, episcopo Ultrajectino ab secretis literis, circa a. 1530. obiit a. 1536. VIII. Cal. Oct. (v. Val. Andreae, Bibl. belgic. p. 530.) Librum Joach. Rolandi nec detegere, nec mutuum accipere potui. [Conf. quae supra, p. 5. ad epistolam Joannis Castrici adnotata sunt. — H. —] Mentionem auctoris et libri „De novo morbo sudoris, quem anglicum vocant, a. 1529. grassantis, habet Foppens, Bibl. belg. p. 558 et Eloy (Dict. historique de la méd. tom. IV. p. 96.) eumque Joachim Roland s. Roelandts appellant. Similiter Andr. Vesalius libellum „Radicis Chinae usus. L. B. 1547. nuncupavit „doctissimo viro, D. Joachimo Roelants, medico apud Mechlinienses primario, amico charissimo.“ — G. —

Tunc [2]) mihi narrabis (dulce est meminisse malorum)
Tristia pene oculis tartara visa tuis —
Tunc cum sudoris ignoti triste venenum
Urgeret vapido bis tua membra toro,
Furvaque coepisset Stygio sacra dona marito,
Fatalem crinem vellere Persephone,
Multaque praeterea, quae differo tempus in illud,
Advehat alatis quod cito Phoebus aquis [3]).

2.

PAULLUS JOVIUS.

Damnatur [1]) autem vel ob id Britanniae caelum, quod crassa saepe obductum nebula suam illam vitalibus salubrem gratissimamque oculis serenitatis lucem eripiat, unde fit, ut plerique, nec inepte quidem, arbitrentur, illum aetate nostra insignem morbum uni Britanniae peculiarem, et certis annorum intervallis repetitum haud dubie procreari, qui pestilentiae similis multos mortales, excitato sudore mortifero, paucis horis interimat nisi sudantes stragula, veste et multis lodicibus involuti adversus illabentem aerem accuratissime muniantur. Ceterum Angli suapte natura valetudine firmissima perfruuntur, adeo ut ne medicis quidem indigeant. Hos enim sola probe nobilitas accessit, aut mercatorum urbana multitudo, quum luxu et perpetuis gulae voluptatibus dediti cruditate saepissime divexentur.

3.

LUDOVICUS GUICCIARDINUS.

Quo ipso autumno (1529.) pestilens quidam ac letifer morbus erupit, quod inauditum malum manavit non solum per Belgium atque infernates Teutones, sed etiam superiorem Germaniam transcendit, quod vel a notarum indicio vel ab efficientia potius sudoriferum vulgo vocitabant, quippe correptos affectosque eo morbo uberior quaedam atque insolita desudatio prodebat. Ex quo sudore

2) Ibid. Opp. epist. I. 3. p. 143. — G. —

3) [Nihil quidem refert Epigramma ad sudoris anglici historiam, omittere vero id nolui, ne memoria certe Joachimi Rolandi omnino perderetur. — H. —]

1) Paulli Jovii regionum et insularum atque locorum descriptiones; in Opp. Basil. 1578. f. p. 14. Denatus est a. 1552. — G. —

cum cohorruissent, vehementissima febri alte in fibris abdita mirandum in modum jactabantur, ita, ut, non integro vertente se die naturali, quantumvis licet bona valetudine, firmaque corporatura ante fuissent, doloribus distracti protinus emorerentur. Quod tabum, licet horarium, acerbe quoquoversus pergrassando dici nequit, quantam hominum stragem promiscue fecerit, et quantum terroris orbi incusserit. Porro in mera solitudine humanae opis (ut calamitate fracti et afflicti facere solent) divinum numen tandem imploratur, itur ad pias preces, decernuntur supplicationes deo, Andoverpae, sicut et in aliis plerisque Germaniae civitatibus Amburbalia annua instituuntur. Itaque ei malo postremo vel ab empiricis, vel a Britannis, qui consimili contagione olim aliquando laboraverant, praesens remedium Teutoni didicerunt adhibueruntque ejusmodi, ut aegrotanteis nimirum lecto decumbenteis atque apprime contectos foverent detinerentque immobileis, ac summopere caverent, ne illi gravem immoderatumque ventum solum non sentirent, sed ne qualibet quidem leniter fluentis aeris excitatione minimum offenderentur. Quibus interim, etsi diaetam praescribebant, quam maxime hoc curabant, ut insomneis eas (quot, diximus) horas ducerent. Ideo male habentibus custodes adjungebant, ut ne scilicet letalis somnus incautis obreperet, ad quem, quo natura facilius vel ultro provocabantur aegrotanteis, eo sane difficilius ab impeditos aggravatosque spiritus vitaleis, ac vix ob eo coerceri poterant, in quem si forte per incuriam custodiae incidissent, consopitorum instar profunde dormiendo extinguebantur. Horum autem quam plurimi, quando jam dicta ratione curiosius operti lectoque foti observabantur, nec non totas viginti quatuor horas vigilabant, superabant quidem, partim vero ad pristinam valetudinem aegre, partim tardiuscule, partim nunquam redierunt. Nec mirum, cum tantopere et corporis, et animi vires essent affectae.

Qua de lue juxta cordate atque eleganter primi nominis medici, Castroandoverpanus et Rolandus Machlinianus, scriptos libellos reliquerunt, et quidem illos utilissimos, vel ob hoc ad consimilem occasionem jure meritissimo dignissimos, qui in omnibus librariis studiose conserventur. Erant vero, qui id genus contagionis caelitus immissae morbum Anglicum dicerent, et ante quadraginta treis annos, persimili omnino illic pestilentia pergrassante, incredibilem hominum stragem editam coaetaneorum memoria propalam asseverarent, quam opinionem periclitatione atque usu longinqui

temporis confirmabant, quod ab illa usque tempestate ad hanc diem in illo caelo stellae quaedam haererent. Apud Teutones vero supernatcis annonae charitas summa tunc temporis etiam fuit, adeoque ea provincia triplici gravissimorum suppliciorum genere — non obscure afficiebatur bello, pestifera lue et fame; Id quod ad ipsam, quae in illud temporis incidit, religionis *μεταμόρφωσιν* quidam detorquere conantur. —

4.

CRONICKE van VLAENDEREN.

Van een seer vreemde siecte de noept ghesien en was, gheheeten die sweetende siekte.

4) [Exstat illud senatus Bernensis regimen teste Meyer-Ahrens (l. c. p. 320) in „Mandatenbuch der Stadt Bern. No. 1. fol. 284b." — Meminit ejus quoque Stettlerus (v. supra p. 475, ut ex loco: „vnd vielen wachste ein weisse Blatter" qui, Meyero teste in regimine isto legitur, appatet. — Ceterum, ut refert Meyer-Ahrens, tam quae de signis, quam quae de cura morbi afferuntur, penitus conveniunt cum reliquis de morbo anglico scriptis. — H. —]

5) [Recte Meyer-Ahrens ex ipso Stettlero monet, ita („drei") legendum esse pro repetito per errorem ab Anshelmo numero „dreihundert" — H. —]

1) Von den Tigurinern und der Statt Zürich Sachen VI Bücher verzeychnet von heinrichen Bullingeren (Codex manuscriptus bibliothecae civicae Turicensis).

1) I. Kessler, Sabbatha, p. 354b.

einer Statt in die andren biss in unser land hin uff gesprungen — — also dass die Menschen frisch vnd gsund durch ainen vngewonlichen Schweiss gächlich überilet, in ainem tag vnd nacht, besunder wo sie entschlieffend, dahin sturbend, och die, welchen Gott ir leben enthielt, vnd widerumb vffgestanden, doch dem tod so nach gewesen, das tod vnd leben (wie man spricht) vff einem nadelspitz ruben möchten. Wenig so nicht ettliche Stunde irer Sinnen berobt gewüttet haben, also ist alle nott zu dem hertzen geloffen.

10.

AEGIDIUS TSCHUDI.

Dise pestilenz [1]) ist, wil sy mehrentheils mit schweiss anfieng vnd vss England kam, der englisch schweis genannt worden. Die lüt thetend daby nichts als schlafen, vnd wenn man sy schlafen liess, so waren sy in 24 stunden todt.

---

1) [Ex codice manuscripto bibliothecae evangelicae Glarinensis, ut refert Guggenbühl (Der englische Schweiss 1529 in der Schweiz. Lichtensteig, 1838. 8. p. 8. et 9.) Hunc vero codicem adesse in ista bibliotheca negavit Jenni, Glarinensis. Cf. Meyer-Ahrens, l. c. p. 316. — H. —]

V.

FRAGMENTA DANICA.

1.

ARRILD HUITFELD.

Vdi [1]) dette Aaar (1529.) om Michelsmysse tide, paafald den Engelske Sved, saa kaldit, for Hand først vdi Engeland er begynt, siden offuerfaldit mange Land, At huilcken der met bleff beladt, døde mesten 24. Timer der efter, oc vaar den Dag allene tit Kiøbenhaffn, der døde

Hoc anno circa festum S. Michaelis grassabatur sudor Anglicus sic dictus, quoniam in Anglia ortum habuit, et inde plurima regna pervasit. Qui illo tactus fuit, plerumque inter 24 horas moriebatur. Et accidit quidem, ut uno die 400 homines isto morbo Hafniae morerentur, inpri-

1) Kaming Friderith den Førstis - Histori. Kiobenhaffn 1597. 4. S. 181. Epistola nuncupatoria ad regem Christianum IV. ita desinit: „Actum Kiøbenhaffn 1. Sept. Anno 1596. Eders Maiets vnderdanige tro Tiener Arrild Huitfeldt.“ Mortuus est Haraldus (Huitfeld) aetatis anno 59. a. 1609. d. 13. Dec. Idem testatur Jens Worm. (Forsog til et Lexicon over danske, norske og islandske Laerde Mand, Forste Deel. Helsingoer 1771. S. 480.) hisce verbis: „Huitfeld (Arnoldus) Dan. Arvid, eller Arvild Huitfeld — Dode ingift Stand 1609. 13. Dec. efterat han kort forhen havde taget sie Afskend fra Canceller Embedet.“ Nova editio operis sic inscripta est: „Historiske Bescriffvelse, om huissig haffver tildraget vnder den Stormectigsten Første oc Herre, Herr Christiern den Første“ — Kiobenhavn MDCLII. Tom. II. Ottende Part. S. 1315. Praefatio subscripta est 1599. d. 24. Januarii, et ad verbum ex priori editione liber ipse descriptus. Versionem latinam mecum benevole communicavit perill. Hallenberg, Regi Suecorum ab historia, isque hunc auctorem principem morbi hujus inter Danos enarratorem ac ducem esse statuit. Ad manum est alia editio: „Danmarckis Riges Krønigke ved Arrild Huitfeld til Odersberg D. R. Canceller prented i Kiøbenhavn Anno 1652. f.“ locus ipse legitur p. 1315; ergo eadem est veteris libri editio, mutato titulo. — G. —

aff forneffende Sot, 400. Mennisker. Vnge folck døde mesten, Gamle kom dennem gierne. Nova scelera novis poenis puniuntur. —

mis juvenes. Nam homines provectae aetatis plerumque contagionem istam superabant. Nova scelera novis poenis puniuntur. —

2.

CORNELIUS HAMSFORT.

Restitutus [1]) demum ex insula Burgunda fuga Christiani secundi in integrum, comitiis Otthoniae praecipiti vere insequentis anni habitis, in verba Friderici, regis designati, juravit, Jacobum, virum doctum et juris peritum licentiatumque decretorum, qui Hoffmanno successerat, quod ei Canutiorum bona invadens nuper restituisset, fortiter dignitate prioratus exuit, successore dato Johanne Farsonio. Is sexennio post affectus febre sudorifera, qua tota Europa fuit perculsa et afflicta, exinde Orchellae plerumque se continuit. —

Abdicante [2]) sponte Johanne Calvo, episcoporum Otthoniensium paucis ante kal. Quintilis diebus iniit anno 1529. cujus anni mense Februario per civitatis Otthoniensis juxta Johannis aedem foedo incendio conflagravit, et autumno pestilens sudor per Daniam totamque Europam grassatur, ibi complures claros viros, et inter eos Johannem Farsonium, priorem Canutiorum, exstinxit. —

3.

ERICUS PONTOPPIDANUS.

Anno 1529. grassirte zu Copenhagen [1]) eine sonderbare ansteckende Seuche, der Engelländische Schweiss genannt, daran sturben zuweilen in einem Tage 400. Menschen. —

---

1) Scriptores Rerum Danicarum collegit et adornavit Jacobus Langebec, post mortem edidit Petr. Fr. Suhm, T. VII. p. 216. Series Episcoporum Otthoniensium e diplomat. et tabulis collecta auct. Cornelio Hamsfort, MSct. exstat in bibl. regia Havniensi p. 240. de anno 1529. — G. —

2) Ibid. p. 242.

1) Theatrum Daniae veteris et modernae, oder Schaubühne des alten und jetzigen Dännemarcks — zusammen getragen von Erico Pontoppidano. Bremen 1730. 4. Th. 1. c. 2. S. 63. repet. iisdem verbis in Memoria Hafniae. Glückst. 1738. S. 45. — G. —

4.

ANONYMUS [1]).

1529 ved St. Michels Dag kam en farlig og uhörlig Syge, kaldedes den engelske Pestilentz eller Svedesyge; sun war soo svar og farlig, at Somme inden den 12de Time efter de begyndte at svedes, bleve döde, og Somme, inden den 14de Time after de begyngdte at svedes, bleve de döde; sun feldt poo nogle som sad og finge sig Mad og Drikke og pon Andre som loon udi Sörn. Udi et Huus lave stundom 7 eller 8, og war underlig, at En kunde undgoon af dennem. Gamle Folk ware frie for hende; men middelaldrende Folk foldt hun meest pon.

Anno 1529 Scti Michaelis die morbus apparuit periculosus et inauditus, pestilentia anglica sive sudor anglicus vocatus; is tam gravis et periculosus erat, ut alii intra duodecimam horam, ex quo sudare coeperunt, alii intra decimam quartam morerentur; alios cibum et potum sumendi causa sedentes, alios dormientes invasit. In una domo interdum septem aut octo aegrotabant, quorum raro unus sanabatur. Seniores ejus erant expertes, juvenes autem imprimis agitabat.

---

1) [Quod sequitur fragmentum addere mihi licuit per summam viri doctissimi et humanissimi, Mansae, Hafniensis, benevolentiam. Cum enim hunc virum rerum historicarum peritissimum rogassem, ut quae ipsi cognita essent de sudoris anglici per Daniam regionesque vicinas migrationibus scriptorum Danicorum fragmenta, mecum communicaret, certiorem quidem me fecit, jam anno 1802 ipsum Grunerum literas ad virum rerum Danicarum peritissimum, G. L. Baden, mississe (has vero literas Badenius ipse Mansae donaverat) in quibus similes meis preces protulerat, nec tamen Badenium aliquid habuisse, quod ad hanc rem spectaret. Ita se quoque ab initio omnino desperavisse, quin certiora quaedam mihi de sudoris anglici per Daniam progressu indicaturus sit. Nec tamen pervolvere denuo chronica longiquo pulvere obducta virum liberalissimum taeduit, nec spes omnino ipsum fefellit, etsi pauca tantum sunt, quae addenda Grunero curavit. —

Depromtum est fragmentum, teste Mansa, ex codice manuscripto bibliothecae regiae Hafniensis (Vett. Collect. Reg. No. 1180. Fol.).

Praeterea cel. Mansa addit: „Ludovicus Boesen (antistes sacrorum, nat. 1733, mort. 1788) in sua Helsingorae descriptione (Alburgi 1757) memoriae prodidit, sudorem anglicum Helsingorae grassatum esse ibique multas prostravisse victimas.“ — H. —]

VI.

FRAGMENTA SVECICA.

1.

ERICUS JOERENSSON.

Thetta Åhret (1529. [1]) om hösten Michilsmesse, tijth, wannkade här i Rüket then gruffuesamme swette Soot och Sjukdom, som kallades then Engelske Sweet, förthenskuld at then först vthi Engeland begyntes, och tå regerade mäst vthöffuer alt Tydskland, Engeland och andre Landskap fleere, och war thet en slük

Autumno hujus anni, et tempore quidem Michaelis, ivit in hoc regno atrox illa lues sudatoria, ille morbus, qui vocabatur sudor Anglicus, ideo, quia primum in Anglia initium cepit, ac tum per totam fere regnabat Germaniam, Angliam et alias regiones plures, eratque haec adeo horribilis et pestifera, ut vir vel fe-

---

1) Then stoormagtighe höghorne Furstes — Her Gustaffs, fordom Sweriges, Göthes och Wendes Konungs Historia, 2de Deele. Sammendragen och begkreffen af Erich Jörensson, vthi Stockholm 1622. f. Förste Deel p. 267. ad a. 1529. Eadem verba Jo. Magnus habet exscripta. (Svea och Gotha Cronica weruthinnen beskrifwes, icke allena the Inrikis Konungars lefwerne och namnkunnige bedriffter uthi theras eghit Tosterland, Stockholm 1620.) In ceteris Magni libris, Gothorum Sueonumque Historia, Rom. 1554. et Historia de omnibus Gothorum Sueonumque Regibus, qui unquam ab initio nationis extitere, eorumque memorabil. bellis — opera Oloi Magni Gothi fratris, in lucem edita, ibid. 1554. qui revera conveniunt, neque in Historiae Metropolitanae ecclesiae Upsalen. a Jo. Magno collecta, opera Ol. Magni in lucem edita, Rom. 1560. aliquid de sudore Anglico legitur. Etiam cl. et amicissimus prof. Thunberg, literis haec ad nos perscripsit „in actis quibusdam inveni, quod sudor Anglicus in Ostrobothnia, Sueciae provincia, a. 1530. fuerit, atque $^2/_3$ hominum necaverit.“ Hic auctor etiam, teste Perill. Hallenbergio, historiographo regio, dicitur Ericus Georgii Tegel, unicus rei gestae testis, fide ac auctoritate certus. — G. —

förfärligh och besmitteligh Sjuka, at ther en Man eller Quinna bedst och helbrigdh, kom honom uppå en kall Swett, såsom en Wäderflaga, och hwer then samma ikkestrax togh sigh til wara, lade sigh nidh i Sängen och swettedes under Kläderne vthi fyre och tjugu tijmar, och hölde sigh wäl til, så at platt intet wäder kunde komma til hans Lekamen, tå bleff han strax dödh, innan twå eller tree tijmar, och motte han slät intet soffua vthi the fyre och tjngu tijmar, så frampt han ville bliffua widh Lüffuet. —

mina, quem, sanum licet maxime et incolumem, frigidus sudor haud aliter, ac venti flatus, invaderet, nisi idem derepente sibi caveret, atque in lectum sese committeret, et viginti horas sub vestimentis sudaret, seque bene obvelaret, ut vel levissimus quidem ventus ad corpus illi ne accederet. Is idem confestim intra duas vel tres horas mortuus est, illique, si in vita manere vellet, haudquaquam per viginti quatuor istas horas esset dormiendum. —

2.

PETRUS NIGER SWARTS. RASMUS CARLSON. OLAUS CELSIUS.

Petrus Niger Swarts.

Na [1]) detta året (1529.) var och en stor och alemannelig pestilens eller plaga osver hela riket. —

Hoc anno vehemens et universalis morbus vel pestis totum regnum vastabat. —

Rasmus Carlson.

Na [1]) det året var en ganska stor och alemannelig pestilens osver hela sveriges rike.

Hoc anno vehementissima et generalis pestifera lues per totam Succiam grassabatur. —

---

1) Petri Nigri Swarts Swenska Chronica ad a. 1529. MSct. Hoc fragmentum cum sequentibus humaniter mihi reddidit cel. histor. prof. Upsaliensis, Jant, unaque addidit versionem latinam. — G. —

1) Rasmus Carlsons Chronica MScr. ad h. a. — G. —

Olaus Celsius.

Dew [1]) kalla Swetten, en Sjickdom hoicken dessa åren hade ôsversrammal de flasta or ler i Europa sedan den samma uli England forst lålil sis skonja, besokh rid denna lid dessa Nordiska lander och odelade många Slaglar, forrån fockel blef undewattadt om den låkedom, som deremot hande nytliar, tnilkew var ej mindse salisam. Då man kände sig wras, lihasom af ich sagta kallt våder, stulu man strax kasta sig under varma bolohrar, så håpt, alingen lust kunde hrånga sig igenom, saml i del histänd forblissa i 24 himmar ulan somn, hirlhel om del ej blef i agt tagch, var dóden säher. —

Sudor frigidus, in Anglia ortus, et his annis plerasque Europae regiones peragrans, hoc tempore ad has oras septentrionales pertingebat, in quibus plurimas devastavit familias, antequam ejus medelam aeque singularem plebs cognosceret. Cum tanquam leni vento frigido se tactum quis animadverteret, calidis culcitris ita se mox obrueret, ut nulla, vel tenuissima, penetrare posset aura, inque hoc statu per XXIV horas vigil permaneret, quod qui neglexerit, inevitabili morti fuit obnoxius.

Slå ditta året (1529 [2])) gick i Sverige en grussvelig sjukdom, som kallades den Engelsha Svett, fordenskall al den forst i England bigyntes och både der ort sidan in Tyskland och andra landskap haftigh grasserade. Der en man eller qvinna gick harsk och hellreyd, kom honom hashgt kall svett uppå, sasom en vaderfluga. Och hvar den samme iche lade sig ner al svettas i 24. stunder, val mid klader betåckt, blef han

Hoc anno Sueciam depopulabatur vehementissimus morbus, sudor Anglicus, qui dicebatur propterea, quod in Anglia ortus magnam ibidem, pariter et in Germania aliisque regionibus stragem ediderat. Marem vel feminam, ubi sani robustique quam maxime essent, sudor frigidus ex improviso adoriebatur, quem intra duas vel tres horas certa mors insequebatur, nisi vestibus superimpositis per XXIV horas

1) Celsii R. Gustaf lis Historia, Deele 2. p. 44. vers. Geschichte K. Gustav des ersten von Ol. Celsius, aus dem Schwed. übers. 2 Theile. Kopenhag. u. Leipz. 1753. S. 55.

2) Glis K. Gustaf lis Chronika Tr. 1. p. 120. Eadem fere verba habet Grubb: Extract af K. Gustaf I. historia p. 140.

innom hå et he himmar dod. Och så franch hanc ândå rilu lifvet behalla, målle han intet i de 24. stunder sofra. —

sudorem excitarent, eodemque tempore somnum evitarent solliciti. —

3.

JOANNES LOCCENIUS.

Circa [1]) finem hujus anni (1529.) hic saevire coepit transmarinus morbus, sudor Anglicus dictus, quod in isto solo primum ortus, inde vicinas oras ac Germaniam pervagatus, huc tandem quoque penetravit. Iste morbus tam vehemens ac pestilens erat, ut, dum quis optima valetudine uti videbatur, improviso invaderet eum frigidus sudor. Quo correptus, nisi statim lectum peteret, et bene tectus, ita, ut ne minima quidem aura corpus ejus adflaret, ac insomnis per viginti quatuor horas virus exsudaret, intra duas aut tres horas exstingueretur. —

4.

OLOF VON DALIN.

Stockholm [1]) och hela riket plåga des dette År (1529.) om hösten af en svår och ovanlig smittasom sijukdom, Engelske Svetten kallad, efter han kom in med sjofarande från Engeland der han liksom i Tijskland och flera länder gjordt myken förödelse: Han bortryckte många menniskor och jämväl Konungens Broder, Magnus Erikson til Ridboholm. —

Holmia et totum regnum hoc anno autumni tempore gravi et insolita lue laborabant, quam sudorem anglicum vocarunt. Venit enim cum nautis ex Anglia; in Germania quoque aliisque regionibus magnas strages edidit. Hic quoque permultos abripuit, Ridboholmiae frater regis dominus Magnus Erikson ista lue exstinctus est. —

---

1) Joannis Loccenii Historiae Suecanae a primo rege Sueciae usque ad Carolum XI. deductae. Upsal. ap. Cunon. 1662. 8. L. VI. p. 286. item Francof. et Lips. 1676. 4. L. VI. p. 269.

1) Olof von Dalin Swea Rikes Historia, 1 — 3 Deel. Stockholm 1747 — 62. 3die Deelens förste Bandet p. 221.

VII.

FRAGMENTA GALLICA.

1.

JOACHIM LE GRAND.

Cependant [1]) la passion de Henry pour Anne de Boulen augmentoit tous les jours à tel point, que l'Eveque de Bayonne ecrit, qu'il n'y a plus que dieu qui les puisse separer. Quoique ce prince ne pust plus vivre sans elle, il falut neanmions qu'ils se quittassent pour quelque tems.

L'Angleterre fut affligeé (1528.) pendant deux mois d'une maladie contagieuse, qu'on nommoit la suée ou le sutin, parcequ'on mouroit en suant. Cette espece de peste commença à se faire sentir pour la premiere fois en 1486. Auparavant on ne la connoissoit point. Tous les remedes y étoient inutiles, et elle emporta beaucoup de monde, avant que les medecins sçussent, de quelle maniere il la falloit traiter. C'étoit un fleau, dont dieu ne voulut d'abord punir que les Anglois. En quelque lieu qu'ils fussent, ils en étoient attaqués, sans que les étrangers avec qui ils vivoient, en fussent incommodés. Cette maladie étoit plus dangereuse pour les jeunes gens, qui étoient dans la force de leur âge, que pour les enfans et les vieillards, et ceux qui en étoient frapés étant pleins de viande, rarement en échapoient. Stow raconte, que de sept personnes, qui avoient soupé ensemble, six en étoient morts en moins de treize heurs [2]). Ce mal n'étoit ny long, ny douloureux, en tres-peu d'heures on étoit mort ou guery. Le seul remede qu'on

---

1) Histoire du Divorce de Henry VIII. Roy d'Angleterre et de Catherine d'Arragon. T. I. à Paris 1688. 8. Pag. 93. 96.

2) Alii auctores nominant tres horas. — G. —

y trouva fut de demeurer en repos lorsque l'on étoit attaqué, de se couvrir mediocrement, de ne point prendre l'air, et d'attendre sans se tourmenter le fin de la maladie. Une fille de chambre d'Anne de Boulen en mourut, et l'on n'en fut pas moins effrayé que si la maison de la Maitresse du Roy eût dû être un asile contre le mal ou contre la mort. Il fallut qu'Anne s'eloignast, elle se retira chez son pere dans la province de Kent, où maladie ne les épargna ny l'un ny l'autre. Alors les frayeurs du Roy redoublerent, il se confesse et communie tous les dimanches avec la Reine et le Legat, il fait son testament, et se croit mort ou prest à mourir. L'ambition d'Anne de Bouley étoit plus forte que la crainte de la mort, et pendant que le Roy, que la Reine, que le Legat tremblent pour leur vie, elle n'est inquiete que du retardement du Legat. Elle croit que s'il étoit arrivé, l'affaire seroit bientôt jugée, et elle mourroit contente, pourvû qu'elle mourût Reine.

Tout neanmoins s'opposoit alors à ses desirs. Le Legat étoit malade, les affaires de France alloient mal, en Italie la peste desoloit l'armée, Lautrec, qui la commandoit, y étoit mort au milieu de ses troupes. —

Incidentement [3]) il me dict que à tout le mains le Pape ne leur pourroyt nyer que la cause feust cogneuë sans le tenir en suspens pour le dangier qu'il y auroyt trop evident à ce Royaulme, si le Roy alloyt mourir sans declaration de la validité ou nullité du mariage, et passa ce mot bien legerement. Une des filles de chambre, Monseigneur, de Mademoiselle de Boulon, se trouva mardy atteinte de la suée, à grant haste le Roy deslogea et alla à douze miles d'icy, et m'a-t-on dict que la Damoyselle fut envoyée pour le suspect au Viconte son frere qui est en Cainet. —

Ce mal de suee dont je parle c'est, Monseigneur, une maladie qui est survenue icy depuis quatre jours, la plus aiseé du monde pour mourir, on a ung peu de mal de teste et de cueur, souldain on se mect à suer, il ne fault point de Medecin; car qui se decouvre les mains du monde, ou qui se couvre ung peu trop en quatre heures, aulcunes fois en deux ou troys, on est depesché sans languir, comme ont faict de ces facheuses fiebvres, mais ce n'est pas grande

3) Ib. T. III. p. 137. — 139. Lettre de Mons. Du Bellay, Evesque de Bayonne, à Mons. le grant Maistre et Marechal de France. De Londres le 8. de Juny. (1528.)

choses; car il n'en a esté actaint à Londres depuys le dict temps que environ de deux mille. Hier estant allé pour jurer la Trefve, on les veoyt dru comme mousches se jecter des ruës et des boutiques, dedans les maisons prendre la suée incontinent que le mal les prenoyt. Je trouvay l'Ambassadeur de Milan sortant à grant haste de son logis, pour ce que deux ou troys souldainement en estoient prins. — Par dieu de Paradis, Monseigneur, quant la suée et la suerye me viendra veoir, et qu'il me fauldra passer la carriere et la suée, je n'y auray pas si grand regret que ceulx qui sont plus à leur aise que moy, mais Dieu les y maintienne. Pour retourner à Londres, je vous asseure que les Prestres y ont meilleur temps que les Medecins, si non qu'ils ne peuvent fournir à enterrer; si la chose dure, le bled sera bien-tost à bon marché. Il y a douze ans que telle chose advint, dont il y mourut dix mil personnes en dix ou douze jours, ce dit-on, mais elle n'estoit si aspre que à ceste heure elle commence. —

La [4]) Damoiselle est encores chiez son pere, le Roy s'en va changeant de logys pour cette peste, assez de ses gens en sont mors en trois ou quatre heures. De ceux que connoissez, n'y a eu que Poowits, et Carey, et Conton de mors, mais Feugvillem, le Marquis, Millord Guillaume Bron, Careu, Bryan, qui à ceste heure est de la Chambre, Nourriz, Walop, Chesney, Quinston, Paget, et generalement tous ceulx de la Chambre, fors ung, en ont esté attaint, ou le sont. On disoit hier qu'encores aucuns d'eulx estoyent à la mort, je ne say s'ils eschaperont; le Roy est demouré tout seul se tenant serré, Dieu veuille que inconvenient ne luy survienne. Chez Monsieur le Legat ils jouënt le jeu mesme, mais quant tout est dict, ceulx qui ne prennent point de vent, ne meurent point, en sorte que de plus de XI. mil qui ont esté actains à Londres, il n'en est mort deux mil, quelque chose qu'on en dye; il est vray que qui mect seulement la main hors du lict durant les 24. heures, soudain devient roide comme ung pan, par ce moyen il fault avoir belle paciences, si aymerois — je mieulx l'avoir que celle qu'on m'a converty en impatience; car l'autre ne dure si longtemps. —

Depuis mes lettres escriptes, ay esté adverty que pour estre

---

4) Ib. p. 144. Lettre de Du Bellay, Evesque de Bayonne, à Mons. le grand Maistre, de Londres le dernier de Juing.

mors souldain chez Monsieur le Legat, le frere du Comte d'Erby, et ung Gendre du Duc de Norfolck, il s'est desrobé par derriere avec peu de gens, et n'a voulu qu'on sceust où il alloyt, pour n'estre suivy de personne. Le Roy à la fin s'est arresté à vingt mil d'icy en une maison que à faict faire Monsieur le Legat, pour ce qu'il veoyt ne proufiter riens à changer de logis, et m'esté dict de bon lieu qu'il a faict son testament, et prins ses Sacremens pour le dangier de la soubdaineté, toutefois il n'a nul mal, Dieu mercy, et quant bien il seroit actaint de ce sutin, que Dieu ne vueille, je ne voy qu' il y eust dangier, mais qu'il se guardast bien. —

Quant [5]) au dangier, Monseigneur, qui est en ce pays, il commence à diminuer decza, et à augmenter ez lieux, ou il n'avoit esté à Cainet [6]) est à ceste heure fort; Mademoiselle de Boulan et son pere ont sué, mais sont eschapez. Le jour que je suay chez Monsieur de Cantorbery, en mourut dix-huit en quatre heures, ce jour-là ne s'en saulva gueres que moy qui n'en suis pas encore bien ferme. Le Roy s'est eslongué plus qu'il n'estoit, et espere qu'il n'en aura nul mal, toutesfois il se tient encores fort suz ses gardes, et tous les jours se confesse, et reçoit nostre Seigneur, toutes les Festes, et la Reyne pareillement qui est avec luy, aussi faict Monsieur le Legat de son cousté. Les Notaires ont eu beau temps deczà, je croy qu'il se y est faict cent mil testamens avant la main, pour ce que ceulx qui mouroient, devenoient tous foux incontinent que le mal les pressoit. Les Astrologues disent que cecy se tournera en peste mais je croy qu'ils resvent. En ce que le Roy monstre par ses lettres, se condoloit avec le Roy son frere de ce mal, et pareillement avec Monsieur le Legat. —

Monseigneur, de paeur que demourassiez en peine, actendant qu'aye esté vers mon dit sieur le Legat ou autrement communiqué avec luy, je vous ay bien voulu faire ceste depesche — car ce mal n'est que belle peste, et incontinent que l'homme est mort, il en devient couvert sur le corps.

---

5) Ib. p. 152. 153. Lettre de Mons. Du Bellay, Evesque de Bayonne, à Mons. le grand Maistre, de Londres le XXI. jour de Juillet.

6) In marg. La Province de Kent.

2.

FRANCISCUS DE ROSIERES.

Regnante [1]) Francisco Valesio — sudor Anglicus, morbus antea incognitus, capit exordium. —

---

1) Stemmata Lotharingiae et Barri ducum Tomi VII. auct. Franc. de Rosières, Paris. 1580. f. T. V. p. 352. Dubium est, sudor epidemius Lotharingiam vere tentaverit, nec ne, sed ita videtur, cum proximis terris, inprimis Alsatiae, graviter incumberet. — G. —

VIII.

FRAGMENTA ITALICA.

THOMAS LEODIUS.

Grassabatur [1]) eo anno morbus teterrimus, quem Sudorem Anglicum ideo appellabant, quia primum in Anglia apparuisset. Laborabatur illo per totam Italiam. Quapropter laetabar me evasisse intactum minimeque infectum. Nunciabatur autem mihi, Heidelbergae plurimos occubuisse uxoremque meam graviter laborasse, ideoque quantum poteram dimissionem a Principe [2]) urgebam: cum quadam nocte nihil tale timens corripior et totus resolvor. Occupaverat omnium mentes falsi cujusdam et indocti medici opinio, qui exigebat, uti viginti quatuor horis quis calidissime contectus sudaret, neque quicquam biberet. Contegor igitur et pene extinguor in lecto. Cumque vociferarer, ut mihi potus daretur, aut mihi pereundum esse, neque quisquam foret, qui porrigere vellet, animum fere despondebam, cum anus quaedam remotis arbitris mihi cantharum cerevisiae praebet et ut audacter biberem suadet. Ego vero parens illi totum exhausi inque momento convalui, lectoque me exolvi, nihilque amplius persensi noxium. Haec eo recitavi ut sciatur, si quandoque is morbus rediret, potum esse praestantissimum remedium, ut vel in hac parte etiam haec historia prosit.

---

1) [Huberti Thomae Leodii Annales Palatini. Francof. 1645. 4. p. 140. — Primum ad hunc locum, unicum de sudore in Italia quoque regnante indicium, virorum doctorum animum advertit doctiss. Meyer-Ahrens, l. c. p. 312. — H. —]

2) [I. e. Friderico II. electore palatino. — H. —]

IX.

FRAGMENTA MEDICA.

1.

HENRICUS CORNELIUS AGRIPPA.

Jam dudum [1]) tribus literis significavi insignem calamitatem meam, amantissimae conjugis miserabile fatum, Herculis et Mariae interitum [2]), servi et ancillae utriusque periculosum morbum. Solus ego cum filiis salvi sumus adhuc. Et jam horrenda eademque subitanea epidemia urbem hanc invasit, et mortui sunt plurimi, pauci manent intacti. — Saluti fui multis contra hoc incognitum malum, quo remedio utor, accipies a Petro Billado, in quo firmiter confido, si, quod absit, aut tibi aut amicis tuis accidat hic morbus, quem non dubito universam Galliam pervasurum [3]).

Fateor [4]) ex vero testorque, quia ego magistrum, Joannem

---

1) Epistolae ad familiares lib. V. Ep. 84. P. II. Opp. p. 276. Lugd. 1600. 8. Scripta est epistola ex Antverpia quarto Octobris 1529. — G. —

2) [Mortui sunt, ut ex epistola 79 colligitur, peste bubonica. — H. —]

3) [Quae sequuntur in libro Gruneri manuscripto (ex epistola 85.) paucissimis mutatis conveniunt cum Jacobi Castrici loco supra praeposito, scil. p. 6. inde a verbis: „Est enim hic morbus febris quaedam“ usque ad p. 8., verba scil.: „in quo omnem reliquam hujus negocii seriem traditam invenies.“ Subscripta est epistola „d. 13. Oct.“ Eandem subscriptionem habet Castricus. Ita ut maximopere sit dubium, num Castricus, an Jacobus de Castro, an ipse Agrippa epistolae censendus sit auctor. Mihi quidem Agrippa scripsisse illam videtur, praesertim quod in initio ejus (Cf. supra p. 6.) et in fine (p. 8.) apud Castricum quoque auctor de uxoris morte queritur. De morte vero uxoris Agrippae constat ex epistola ejus de die 4. Oct. Accedit quod a Castrico epistolam illam prooemii loco positam esse apparet. — H.]

4) Epist. L. VI. Ep. 7. p. 959 — 60. Antwerp. a. 1530. Vehementer h. l. invehitur in medicos Antwerpienses scilicet. — G. —

Theobaldum, novi, et Antwerpianos medicos cognosco, sed quae inter illos est controversia, meo judicio non nisi mera injuria est. —

Ad [5]) curandi rationem, inquit Corn. Celsus, nihil magis conferre, quam experientiam -- qua constat etiam hunc magistrum, Joannem Theobaldum, plurimos restituisse, quos illi Antwerpiani doctores pro deploratis reliquerunt. Atque haec est caussa invidiae, hoc litis hujus caput et cauda, hoc vulnus, hoc ulcus, quod illis, quod urit, quod stimulat, quia ipsi, doctores cum sint, vincuntur ab idiotis. Atque hic nunc quaerere operae pretium esset, cur non attentarint hanc litem, quando sudoriferum illud malum per hanc ubem grassabatur? An non tunc palam visum et cognitum est, qui fuerint utiliores reipublicae medici? Nonne tunc doctores illi e civitate profugi contra sacramentum suum magistratui praestitum et debitam publicis stipendiis servitutem populum deseruerunt? Sed, magistro Joanne Theobaldo paucisque aliis huic civitati strenue salubriterque succurrentibus, licet istis scholasticis medicis et sesquipedalibus doctoribus sua sophismata nectere, et de vita ac sanitate nostra cornutis syllogismis disputare ac pronuntiare obscuras sententias. —

2.

LEONARDUS FUCHSIUS.

„Dejectiones [1]) non multitudine sunt aestimandae, sed si talia dejiciantur, qualia conveniunt, et aegri facile tolerant. Atque ubi

---

5) Ib. et ed. Lugd. 1605. p. 284. dic. honorabilis vir, magister Jo. Theobaldus, medicae et astrologicae artium professor, et opponitur medicis Antwerpianis minus doctis, quin Agrippa ipsi „de medicae artis sufficientia attestatus est“ cum de licentia praxeos lis ac controversia orta esset, et perhonorifice de eo sensit. „Quod ad medicam artem attinet,“ inquit, „ego praenominatum mag. I. Th. ea peritia praeditum attestor, ut, si mihi aut meorum cuivis aegrotandum sit, malle me in manibus ejus potius, quam cujusvis ceterorum Antwerpianorum medicorum periclitari.“ — G. —

1) Hippocratis Epidemiorum liber secundus jam recens latinitate donatus, Leon. Fuchsio interprete, Haganoae ex offic. Jo. Secer. 1532. 4. Partic. I. n. 23. p. 41. b. Vixit ille clarus medicus sub ingressu sudoris Anglici, vivere desiit a. 1566. d. 10. Maji. Laudant ejus in hoc morbo curando dexteritatem Ge. Hitzlerus (Orat. de vita et morte D. L. Fuchsii, Tubing. 1566. p. 13. et 14. rep. in Fuchsii opp. T. I.) et Melch. Adamus. (Vitae Medicor. German. Heidelb. 1620. p. 176.). — G. —

ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si aeger possit tolerare.“ Exemplum nobis proponit Hippocrates sudores. Hi enim si modum non excesserint, utiles admodum esse solent: Sin vero immodici fuerint, virtutem plane dejiciunt, aegrosque in extremum periculum agunt.

Atqui divinum hoc Hippocratis praeceptum superioribus annis prorsus neglexerunt carnifices illi (indigni enim, quos medicos appelles), qui indoctissimis suis libellis, quos velut Apollinis oracula vulgo obtruserunt, sudore vocato Anglico correptis in viginti quatuor horarum spatium sudandum esse praeceperunt, praeter omnem priscorum medicorum mentem. Hos tamen ipsos vulgus medicorum principio expassis ulnis exceperunt, eosque, tanquam novi, ac priscis seculis inauditi morbi curandi rationem edocentes, non solum ambierunt, sed etiam tam perdite imitati sunt, ut aliquot millia hominum hoc execrando ineptissimorum libellorum placito in Germania perdiderint. Neque tantum vulgus medicorum hoc modo insanire coepit, sed hi etiam, qui principibus a cura valetudinis fuerunt, adeo, ut constet suos principes etiam hoc decreto esse jugulatos.

In [2]) eliciendis sudoribus, ut in omnibus etiam aliis vacuationum generibus, unice cavendum erit, ne is immodicus sit, et vires plane dejiciat. Atque hinc est, quod Hippocrates in Epidemiis non temere monuerit, ut in sudore provocando medicus caveret, ne niminum hunc eliciendo et immodice vacuando vires deficerent, adeoque aeger in summum vitae discrimen perduceretur, quemadmodum accidit, cum sudorificae febres (Anglicum sudorem vocabant) per omnem Germaniam anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo nono, autumno potissimum, grassarentur, quippe tum imperitorum medicorum aut, ut rectius dicam, carnificum opera non solum plebeji, sed et potentes multi, et episcopi aliquot immodica sudoris provocatione interemti sunt. —

3.

FRANCISCUS VALLERIOLA.

Sensit et aetas nostra novos prorsusque admirandos morbos [1]).

---

2) Institutionem Medicinae Libri quinque Leon. Fuchsio aut. Venet. 1556. 8. L. II. Sect. 5. c. 27. p. 324. ed. Basil. 1628. 8. p. 431. seq.

1) Franc. Valleriola Locorum medicinalium Lib. tertius. M. D. LXXXIX.

— Sudoriferam febrem, novum et inauditum popularis morbi genus, aetate nostra viguisse in ea Galliae parte, quae Britannia seu Anglia dicitur, tum et in Flandria, ipsi vidimus. Quo morbi genere, nondum inventis ad id artis praesidiis, innumera populorum multitudo concidit. —

4.

JOANNES LANGIUS.

Gaudeo [1]) te epistolam meam de sudore Britannico approbare, multo vero magis laetor, quod libellum primum de cura hujus, nescio, a quo pseudomedico aut ardelione potius primo editum Vulcano consecraveris, cujus auctor dignior Vulcano fuisset victima. Qui utinam cum suo libello, quo plures, quam morbus ipse interemit, ad extrema Arabiae infelicis deserta et syrtes proscriptus, ad illiusque feras dilacerandus condemnatus fuisset! Similis sane illi medico, qui, teste Galeno, adolescentem sudore syncopali aut diaphoretico languentem in balneum hypocausti ablegavit, et cum sudoris copia large profluceret, gavisus medicus, ac si commodum sudoris tempus designasset, paullo post, mortuo adolescente, ab ejus

---

c. 2. p. 702. et ed. Lugd. 1562. p. 359. Vixit medicus juvenis Valentiae Allobrogum (Ej. Comm. in Gal. l. De Morb. Lugd. 1540. Ep. nunc. et L. III. 18. p. 629.) et professor (Strobelberger, Descript. Gall. Polit. Med. p. 100.), deinde Arelati ad a. 1530. (Loc. Comm. II. 5. p. 249. et c. 7. p. 273. item Obs. Med. L. VI. Lugd. 1573. Praef.) et sub hoc tempore i. e. 1534. vidit et observavit veram pestem (Loc. Commun. III. 18. p. 229.) in Occitania, ut Boissier de Sauvages (Nosol. Method. T. I. p. 415.) scripsit contra Guil. Marquis (Decas pestifuga Probl. 5. p. 139.) nominavit pestem in Gallia Narbonensi a. 1534. tandem in Jo. Argenterii locum suffectus et constitutus prof. med. Taurinensis primarius (Ej. Comm. in l. Gal. De Constitut. Art. Med. Ep. nuncup.) decessit summa senectute (1580.) post medium demum seculum. Etenim Hor. Augenius (Epist. Med. T. II. p. 461. ed. Frft.) ejus se successorem appellat, i. e. inde ab a. 1577. — G. —

1) Joannis Langii Epistolarum medicinalium volumen tripartitum. Hannov. 1608. 8. Lib. II. ep. 20. p. 86. et 89. Natus est Langius anno 1485, denatus a. 1565. Ejus vitam habet M. Adamus (Vitae medicor. German. p. 140.) — G. —

[Alios ejusdem Langii locos in quibus sudoris anglici injicitur mentio, ommittendos putavi. Leguntur vero lib. I. ep. 16. ep. 19. ep. 42. 81. Lib. II. ep. 13. et 15. In epistola primi libri decima nona legitur: „Nemo cordatus hanc Britannici sudoris luem febris typhodeos esse speciem negabit, veteribus, ut creditur non adeo ignotam vel inexpertam.“ — H. —]

necessariis, ut homicida, accusatus fuit. Qua accusatione digni forent nostrates medici, qui aegros febricitantes inopportuna siti macerant. Nam ut illi, resolutis sudoris profluvio viribus, multos suffocarunt, sic hi non paucos inani sitis tolerantia perdunt. — His persuasus, nil temerarium vulgi judicium veritus, si patiens corpulentus fuerit, cum tota corporis moles aequaliter incaluerit, tum vel in ipsa febre Britannorum sudorifera vires aegri puto refocillato eo sudorem elicies, quo caussa illius paroxysmi conjuncta facilius sudore diffiari et digeri per cutem poterit. —

5.

JOANNES FERNELIUS.

Occulti [1]) morbi sunt, qui caecis ex caussis totam substantiam oppugnant. Eorum alii venenati, alii contagiosi, alii pestilentes. — Praeter hos nonnunquam alii emergunt insolentes, novis et inauditis ex caussis orti, ut paraplegia quaedam Hippocrati, — sudorifica febris, quibus nostro seculo regiones plurimae perculsae et afflictae, alios vero alia secula protulerunt, qui veterum oblivione obruti extinctive jam sunt, alios futuris seculis posteritas animadvertet, cum novae siderum concursiones permistionesque illorum effectrices obtingent. —

Consueti [2]) pestilentes morbi sunt pestilens febris — insolentes sunt — sudorifica febris (hanc ἱδρωπύρετον nonnulli dixere), qui nostro aevo in regiones plurimas invaserunt, aliique non pauci his finitimi, qui aut veterum oblivione deleti sunt, aut novi posthoc emergent. —

His finitimae et quadam similitudine conjunctae sunt febres sudorificae, quae insolentes magno terrore in omnem inferiorem Germaniam, in Galliam Belgicam et in Britanniam ab anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo quinto in annum millesimum quingentesimum trigesimum, autumno praesertim, pervagatae sunt. Ut primum lues haec in civitatem quandam invaserat, derepente supra trecentos aut quingentos indies corripiebat, dum hinc alio commi-

---

1) Joann. Fernelii Universa Medicina — ed. quint. Francof. 1592. f. De Morb. Different. II. 7. p. 184. Prima editio est Lut. Paris. 1554. Obiit 1558. uberrimam vitae descriptionem dedit Goulin. (Mem. litt. crit. et philos. à Par. 1775. n. 14. p. 286. seq.) — G. —

2) De Abdit. Rer. Causs. II. 12. p. 111.

grasset. Perculsi mox, quasi essent languore dissoluti, animi defectione corruebant, decumbentesque perpetuo sudore diffluebant, cum febre, cum pulsu crebro, celeri et inaequali, neque sudori modus erat ante morbi solutionem. Solvebatur autem uno aut summum altero die, quanquam liberati diu postea languebant, omnibus cordis palpitatio conquisita, alios quidem duos tresve annos comitata. Initio multos sustulit, cum nondum illius vis erat percepta, at postea admodum paucos, ubi exercitatione et usu deprehensum est eos, qui sudores exciperent prolicerentque, et se cardiacis munirent, omnes restitui. Insolentium morborum cum nec vis, nec medicatio cognita est, gravis solet esse calamitas. Hoc statu aer tenui, nec admodum pestilenti veneno perfusus, suppar infirmiorque vitali robore, cor ut lacessiverat, in cutem extimam foras propellebatur, nec carbunculo, nec bubone, nec exanthemate, nec ecthymate, sed sudore solo prorumpens, quod venenum spiritui, quam humori potius insideret, omni quippe ratione haec febris in ephemerarum censu habetur. Eam igitur tempestatem quis, quaeso, non pestilentem judicet, quae tam multos, tam multis sensim mundi regionibus, repente, sine sensu, oppresserit, cum cordis indesinente palpitatione, cum animi defectione perpetua, cum eruptione foras ad cutem, quae multorum est pestilentium morborum communis [3])? —

6.

MATTHAEUS FLACCUS.

Es [1]) tregt sich auch offt zu ein tieffer harter schlaff, vetternus genant, ist ein gefehrlicher vnd sorglicher zufall. — Es kompt auch wol ein vnmessiger Schweis oder schwitzen, solchen sol man nicht verhalten, sondern reitzen' vnd fördern, jdoch so fern es die kreffte erdulden wollen. Denn der Hippocrates sagt, quo natura ducit, eo ducendum. Ein solcher zufall der Pestilentz ist gewesen bey vnserm gedencken die Englische schweissucht, vnd

3) [Exstat quoque „Ad pestem Anglicam MDL. Fernelii, Jac. Hollerii et Jac. Sylvii pro legato Anglico consilium“ (in J. Fernelii consil. medicinal. Francof. 1585. 8. cons. 67.) sed omittendum putavi; omne enim ad curationem, imprimis prophylacticam, spectat. — H. —]

1) Ein Erinnerung: was die Oberkeit zur Pestilentzzeit bestellen sol — durch Matth. Flaccum. Wittenb. 1566. 4. Dritt. Tract. c. 11.

als die Medici, nach dem allegirten Spruch, die Leut gelernt haben, den gifft durch den schweis austreiben, hat der meister Hemmerlin seinen schmeis auch daran gehenckt, das sie die Krancken durch vnmessig schwitzen offten ertödtet, oder in den Betten erstickt haben, dieweil sie der krefften nicht haben wargenommen, vnd on vnterscheid jderman 24. stunden zu auffgelegt. Wil aber einer diese Kranckheit mehr ein sonderliche Pestilentz vnd gifft nennen, denn ein zufall, wider den will ich nicht fechten. —

7.

CORNELIUS GEMMA.

Nec te praeteribo [1]), heu nimium! dira mortalium lues, cui sudoris Anglici vel ἱδρωπυρέτου nomen ab ipsa symptomatis specie indiderunt. Orta haec est anno 1529. circa aestatem post humidissimam coeli constitutionem, ut a patre piae memoriae, qui et eundem morbum passus est tum temporis, evasitque feliciter, ipsus audivi. Primum vero ex Britannicis locis terras maritimas Hollandiae, Zelandiae pervagata Antwerpiam venit, ac celerrime in Flandriam totamque Brabantiam sparsa, uno die sudoris infanda eluvie hominum vel multa millia suffocabat. His aderat ea dementia, ut sese lectis ac linteis insui paterentur, omni arte ac vi eliciendum sudorem arbitrati, heu, nimis immemores illius Hippocraticae vocis, qua sic ait, „si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, ac facile ferunt, sin minus, contra.“ Imo interea, dum alter alterum strangularet, qui praesentes aderant, mutuo hortabantur, ne se negligerent, urgente morbi ferocia, ne victi pretio aut precibus se ante tempus liberent, verum quando ad illos ordo pervenerat, ut sudandi tempus videretur, consuti similiter et violenter operti clamitabant misere, obtestabantur Deûm atque hominum fidem', sese dimitterent, se suffocari injectis molibus, sese vitam in summis angustiis exhalare, sed assistentes, has querelas ex rabie proficisci medicorum opinione persuasi, urgebant continue usque ad 24. horas. Id enim erat sudandi spatium praefinitum, ante cujus circuitum evasere quam paucissimi, tertia mortalium pars errore proprio atque insania misere strangulata,

---

1) Cornel. Gemma, De naturae divinis characterismis. Antv. 1575. 8. lib. I p. 189.

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras. —

Verum [2]) hic totus annus (1524.) procellis arduis et frequentibus fuit obnoxius. — quarto post anno (1528.) Roma diripitur, duce Borbonio, fortassis et isthinc [3]) ille Britannicus sudor, qui supervenit ante elapsum a conjunctione septimum annum. —

8.

JOANNES BOECKELIUS.

Sunt [1]) quidam medicorum et chirurgorum, qui promiscue in quovis pestifero casu principio purgantibus utuntur, violentioribusque medicamentis curam aggrediuntur maximo aegrorum malo. Nostra quidem aetate experti sumus, quantam stragem mortalium ediderit sudor Anglicus incuria et imperitia quorundam, qui vehementiora adhibebant pharmaca, et tyrannico ausu praeter omnem rationem ad sudores largissimos patientes adigebant. Hic curandi tunc temporis modus cum a prudentioribus medicis improbaretur, alia via curandi postea inventa est, qua plerique restituti sunt. —

9.

PETRUS FORESTUS.

At hoc quoque annotatu dignum [1]) est, non omnes pestilentes febres characterem veneni habere, licet homines subito interficiantur,

---

2) Ib. L. I. 8. p. 192.

3) i. e. ab congressu omnium planetarum in dodecatemoria piscium. — G. —

1) De Peste, quae Hamburgum civit. a. LXV. gravissime affixit. Henricop. 1577. Tract. IV. c. 3. et repet. in: Synopsis novi morbi quem plerique medicorum catarrhum febrilem vel febrem catarrhosam vocant, qui non solum Germaniam, sed paene universam Europam graviss. adflixit auth. Joh. Bokelio. Helmstad. 1580. s. p. Vitam ejus vid. in J. Chr. Boehmeri Memoriae Profess. Helmstad. in medicorum ordine prolus. binis descriptae, Guelph. 1719. p. 4. sep. — G. —

1) Petr. Forestus, Observationum et curationum medicinaium de febribus ephemeris et continuis libri duo. Lugd. Bat. 1589. L. II. Obs. 42. p. 282. Schol. Recus. in Ej. Observat. et Curat. Medic. L. XXVIII. Francof. 1602. f. p. 64. — Natus erat a. 1522. denatus 1597. ergo, ut satis vere scribit, puer sudorem epidemicum vidit, et ab aliis traditum accepit, deinde prof. med. primarius in acad. Leidensi diem suum obiit. Vita ejus exstat in Illust. Holland. et Westfris. Ordin. alma Acad. Leidensis. L. B. 1614. p. 111. habet eam etiam Quenstedt, Dial. de patriis illust. virorum p. 123.

qualis pestilens illa febris saevissima, quae apud Anglos cum sudore grassabatur, et ideo a nostris sudoriferus morbus (lingua vulgari vero de swetende sieck) appellatus fuit, et ab aliis medicis dictus est hidronosos, qui de eo scripserunt. Nam hoc malum (ut etiam refert Erasmus Rotterodamus, eloquentiae monarcha, Bataviae nostrae orator insignis, in epistola sua ad clarissimum Carolum Utenhovium) exitiale ad aliquot temporum intervalla, novum exortum est, annis jam ferme quadraginta Anglis peculiare, ubi, cum primum grassari coepisset, ignotum, nec medicorum ars quidquam adferret, tanta vis hominum exstincta, ut vix crederetur eam insulam a tam multis incoli; nec semel ortum cessavit. Quaelibet enim aspera bruma, licet subinde remittatur, scintillans duntaxat, rursus identidem sic increscens, ut parcat nemini. Non aliud malum horribilius, nec contagium periculosius, habet tamen illud boni, quod non excarnificet hominem diutinis cruciatibus. Intra duodecim horas, interdum intra pauciores aut tollit hominem, aut certam vitae spem praebet. Atque initio quidem, ut fit, festino affligit sudore, sed igneo, odoris teterrimi. Visum est ex amne Phlegethonte emissum hoc malum, ungues potissimum excruciat, alas ita comprimit, ut, etiamsi velis, non posses attollere. Qui fervoris erant impatientes, et auram largius admittebant, hi fere subito extincti sunt, rursus alii, cum animadverterent id compluribus infeliciter cessisse, dum in diversam tendunt rationem, in idem tum exitium inciderunt. Nam, occlusis rimis omnibus, et excitato igne copioso, opertique stragulis, quo magis tutiusque sudarent, aestu praefocati sunt, praesentius tamen exitium adferebat admissum frigus. Tandem, reperto temperamento, multo plures ab eo morbo convaluerunt, quam extincti sunt. Tamen tanta lues nondum eo tempore invenit nomen, nec ullum efficax ab arte medica remedium hactenus repertum est.

Post jam tot orbis tumultus, post bella, post caedes, post opinionum dissidia, post rerum omnium et caritatem, et inopiam, anno M. D. XXVIIII. translata est haec lues ex Anglia in Norwegos, Danos quoque, deinde furiose perambulans Poloniam, de regno in regnum, de provincia in provinciam, de civitate in civitatem, adverso Rheno demigravit in Germaniam, perambulando etiam totam vel majorem ejus partem, civitates quoque orientales nonnullas, ut Hamburgum, Bremam, Lubecam, Dantiscum, et a Polonia in Germaniam pervenit, tandem post canem descendendo per Rhenum ab

Agrippina Colonia incredibili celeritate ad agros Juliacenses ac Leodienses demigravit, illinc ad Brabantos, Flandros, ad Geldriam atque Transisulanos [2]), et intra paucos dies ad Trajectum pervenit. Illinc acri incursu Hollandiae limites hostiliter invasit, quos suis venenosis telis mira velocitate infecit omnes, solis Alcmarianis et Waterlandis (quemadmodum ego in libello manu magistri Joannis Tyengii, Amstelrodamensis medici celeberrimi, descriptum reperi [3]) pro majore parte hac lue minime affectis. Amstelrodamum vero, in qua urbe Tyengius medicinam faciebat, XXVII. Septembris eodem anno M. D. XXVIIII. post prandium per aerem quendam nebulosum (ut idem referebat) subintrabat, illinc subito Harlemum et loca vicina usque ad oceanum, et tandem ad Zelandos permeavit. Istinc propulsa, demum ad Anglos [4]), unde digressa erat, pervenit, ubi tum per aliquot annos sedes quietas obtinuit. Adjungam hic in gratiam tyronum medicorum ex eodem libello Tyengii observationem quandam.

Observatio VIII.

De pestilenti febre Anglicana, quae ab aliis hidronosos seu sudor Anglicus dicitur.

Sudor Anglicus vel hidronosos [5]), uti Tyengius referebat, Amstelrodamum invasit die XXVII. Septembris anno M. D. XXVIIII. tribus aut quatuor tantum diebus populatim grassans. Nam post quintum diem ad alia loca celeritate quadam transvolabat, neque amplius in urbe visa est. Istis quidem diebus quam crudelissime saeviebat, uti etiam in aliis locis, ut qualibet die infinitos mortales, tam viros, quam feminas, invaderet. Infantilis vero et decrepita aetas maxime immunis erat, quanquam idem Joannes Tyengius etiam sexagenarios hac febre venenosa obrutos viderit, nonnunquam centum numero unoquoque die corripiebat. Quos vero invadebat, secundum corporum varlam dispositionem variis accidentibus afficiebat, quae partim ab Isaaco Israelita, partim ab Haly

---

2) i. e. incolas Transisalanae provinciae, quae vulgo dicitur Ober-Yssel, male aliqui legerunt „Transilvanos.“ — G. —

3) Hunc Tyengii libellum hactenus nemo doctorum Batavorum vel vidit, vel detegere in bibliothecis potuit, ergo sine dubio apud P. Forestum mansit codex scriptus. — G. —

4) Tunc vero ad Anglos, peragratis ceteris regnis, non rediit, a. 1551. demum recruduit in Anglia. — G. —

5) Observat. Med. L. VI. Obs. 8. p. 158.

Abbate enumerantur. „De pestilente aere, ut sunt sudores tetri et horridi odores, dolores, anxietates, alienationes, frigiditates ab initio in corporis extremitatibus, convulsiones, tensiones sub hypochondriis, urinae admodum diversae, quibusdam lividae et valde corruptae, pulsus concisus, cordis tremor, syncope, contractiones pedum ac manuum, dolores in renibus ac spina dorsi supra modum vehementes, eruptio sanguinis copiosa prae angustia et calore nimio per vias urinae, per nares, per aures, quibusdam et per oculos, aliis autem in fine ex crisis impedimento, et epilepsia, nonnullis et paralyses manuum pedumque, quibusdam et per universum corpus evenerunt.“

S. P. D. Istud morbi genus, cujus inditia isthic quoque existere animaduerto, universam propemodum Lipsiam tanto metu perculit ut bona pars civium de fuga capessenda consilia agitaret, quando paucissimis morbi genus et ejus curatio apposita, perspecta erat. Quo accidit ut puella filia quondam Sebastiani Osterlands, eo morbo correpta, cum ei egrotanti assidentes plus nimio, sudoribus ubertim profluentibus discruciarent extincta sit, impar tantis caloribus ferendis, cujus animae Deus sit propitius. At jam hujus mali natura et curatione cognita Physice, metus iste qui populum hic inuaserat, desiit, siquidem nullus hac lue, ex eo tempore, quo puella supra memorata, interiit, sublatus est, dequolaus Deo.

Et ut tibi quoque meam sententiam et Dni. Doctoris Schiltels aperiam, istum morbum non esse contagiosum argumento est, quod

---

1) Scripta est epistola ad Stephanum Rodt. Num vero auctor fuerit Heltius, professor Lipsiensis, Camerarii magister, an ejusdem nominis medicus, non liquet. Eodem modo Rodtii nomen gessit cum Zuiccaviensis senatus secretarius tum medicus quidam, postea archiatri munere apud Georgium (barbatum cognominant) Saxoniae ducem. Conf. Seidenschnur. l. c. p. 173.

isti, qui ipsis aegrotis assident, ab ipsis non inficiantur, nec pueri et adolescentes, quorum spiritus impressionibus hujusmodi venenatis, facilius sunt obnoxii ab hac lue inuasi sunt. Ad haec pestilentiae malum vel alii morbi contagiosi, pestilentiales, plerumque perimunt quos apprehendunt, ut ex definitione pestis colligitur apud Physicos, Quod cum hic non eueniat, euidens est non esse pestis contagiosae genus hunc insolitum apud nos morbum. Oritur autem ex angustia, timore, imaginatione, et ceteris id genus adfectionibus, Vide tu quoque apud Auicen: et Gale: de ephimera, Rogo itaque te et uxorem castissimam ut hujusmodi passiones (ut sic appellem) procul explodatis et sequestretis. Compertissimum habeo multos hic, hoc morbo decubuisse potissimum propter metum quo immodice sibi ab eo morbo timuerant, et profundam imaginationem, quae juxtra tritum adagium casum facit. Tuum itaque mi suauissime Stephane, ac uxoris tuae fuerit hac tempestate sumere letum, alacrem et plane ab omnibus immodicis adfectibus supra a me recensitis liberum animum. Vtinam tales sitis quales Stoici hic sapientes esse disserunt. Ad prestandum facile te immo omnes alios, adjutabunt, sacrosancta et diuina eloquia, quibus pectus tuum est instructissimum. Nosti quid psalmi, quid Ecclesiastes, quid Prouerbia Solomonis etc. tibi conferre valeant, Dominus illuminatio mea et salus mea, a quo timebo? Dominus protector vitae meae a quo trepidabo? et reliqua. Rogo per Christum eum psalmum uxori tuae castissimae enarres, et utinam ad pedes mei Stephani enarrantis mihi sedere liceret. Verum ut contra hujus morbi illapsum, tu cum tuis ac ceteris omnibus isthic agentibus, aliqua ex parte instructi et communiti sitis, habes hic Regimen Domini Doctoris Schilltels, et receptas medicinarum transcriptas, quarum mentio fit in regime.

Preterea offendet tua humanitas hic vsum et experientiam atque curam, quae haud infoeliciter ejus morbi aegris Magdeburgi exhibita est, valde a Doctore Schilltel commendata, Ubi .... millia hominum et amplius sepedictus morbus fertur inuasisse, ex quibus lv, dicuntur tantum ad abolitionem perducti. Sed tutissima anchora est deum misericordiae patrem, nostris precibus sollicitare, qui nisi curauerit et preseruarit frustra medicinae adhibentur.

12.

SCHILDTEL.

Regiment und ertzney [1]) widder die newe kranckheit der Engelendischen Schweyssucht.

Die pillulen sol man gewöhnlich nemen jnn vj odder vij tagen, ein gut halb quintle, frue vmb drey hora, mit guttem wein vnd Rosenwasser, solt darauf schlaffen vnd nicht schwitzen, So aber ein schweys zügehet, sol man die arme vnd füsse, aussen auffs bette legen.

Die tage derzwischen sol man vom Electuarium nemen einer Castanien gross mit guttem warmen wein, zween loffel vol hynab flössen, Mags auch on wein nehmen, frue wenn man auffstehet.

Vom puluer sol man nemen als viel als man auff ein gülden kan fassen zweymal, mit wein und rosenwasser, iglichs ein loffel vol wol warm, ehe dann man ausgehet.

Von Tiriaca, sol man auch ein tag jnn der wochen nehmen, als viel j gut quintl., mit wein vnd melissa wasser, iglichs ij löffel vol wol warm, frue vmb drey hora, vnnd zihmlich ein stunde darauff schwitzen.

Vnd wenn man vnter die leute gehet, so riecche an den Knopff.

Warttung.

So aber jemand mit der seüche oder Kranckheit fiele, sol man den, wie jm büchlein, etliche stunde schwitzen lassen, nach seinem vermügen, es sey, drey, viere, fünffe, sechs odder sieben stunde, Vnd ob er grosse mattickeit hat odder schwacheit jm schwitzen, sol man jhm vom syrup j löffelvol, vom wasser ein löffelvol nicht gantz kalt zu zeitten geben, So er sich aber mit der labung nich lenger kan auffhalten, mag man jhm von Buglossazucker odder porrago Zucker geben, mit den wassern zerschlagen, ein klein trüncklein, So das aber nicht wil aüffhalten, sol man den menschen mit hohem vleis bewaren, das jhn die lufft nicht angehe, vnd den schweys von jhm trrüge, vnd jnn einer stuben zühmlich warm angezogen odder gekleydet, sitzen, gehen, legen etc. lassen, Vnd alle Zeit, dieweil er jm schweys ligt von schlaffen enthalten, als lang

---

1) Quis fuerit auctor non liquet. Seidenschnurius Lipsiensem eum fuisse medicum putat. — H. —

müglich, vnd der mensch on anmacht odder fehrlichke mattickeit kan vertragen, Wo aber das nicht gesein kan, mag man jhm von geringem bier geben, das nicht sawer sey, mit wenig butter ein süppichen, So er denn nicht lenger one schlaff bleiben kan, lasse man jhn jnn Gottes nahmen eine stunde schlaffen vngefehrlich, So er jm schlaff schwitzt ist gut, Man sol jhm aber den schweys abwischen, vnter dem angesicht, und eben achtunge haben, das jhm nicht onmacht zufalle. Darnach sol man jhm newgewaschene hembde odder kleyder anziehen, vnd dieweil er schwitzen kan vertragen, So tag vnd nacht vergangen, mag man jhm von süppen, weychen eyern, ein wenig zu essen geben, Vnd ein tag, odder zween jnn der stuben lassen bleiben, Vnd darnach sonderlich der lufft gewohnen, So die lufft nicht feucht ist,

Er sol achtung haben, das er alle tage zu stüele gehe.: —

Man mag auch so schwinde onmacht odder mattickeit fürhanden ein wenig sehr gutten wein odder maluasir mit rosenwasser gemischt geben, es sey jm schwitzen odder zu welcher zeit es ist.

Es ist auch gross von nötten das der mensch auch tröstliche leutte, die gerne frölich sein, vmb sich habe, Denn ich besorge das diese seüche mehr aus forchtlicher angst vnd kummer, sorg vnd betrübnis kome, denn aus ander vrsach. Wenn kinder die one furcht und sorge leben, sind dieser seuche gemeyniglich nicht unterworffen, Aber alte leutte, die durch lange erfahrung viel sterben vnglück vnd kranckheit vberweret haben, fürchten sich mehr, derhalben werden sie durch diese kranckheit angetastet.

Ich wil auch einem iglichen getrewlich radthen, das er sich nicht fürchte, zuuor so er der ertzney gebreücht, So er aber ertzney nicht hat, sol er gutter ding seyn one sorge, furcht vnd bekümmernis, sondern frölich, wenn er sich hefftig fürchtet, kriegt er die kranckheit, Wer warhafftig, one furcht, kummer vnd gütter ding ist, der ist sicher.

Es ist auch gut, das man sich mit vbüngen, schwermen, mit trincken vnd essen, vnordentlichem leben nicht verderbe vnd vrsache gebe zu dieser vnd zu andern seuchen.

Soviel habe ich euch extemporaliter, mit grosser eile wollen dauon schreiben, So jhr weitter was begeren werdet, wil ich euch mit gerewmer Zeit mehr schicken.

Vnd die gelarten der ertzney wissen was Auicenna. 2. primi de iis quae accidunt ex motibus animalibus, vnd de viribus

cordis, 1. 4ti (?) de febribus ephemeris, ex angüstia, timore, tristitia etc. kome, nemlich, mors subita, aus den passionibus animi.

Et Galenus in 5 . . . . . in causa: de animi syntho (?): diffuse etc.

Sequuntur Medicinae.

Pillulae.

℞ aloes optimi, ℥. vj. Reubarbari, ℥. iij. Agarici electi ℥. i. β. Corticis trium miraba ā ℥. 5. Diptami ℥. ij. Spicis ℥. j. Salis gemmae gr. xv.

fiant pillulae parvae siue pestilentiales, cum Syrupo de citro et vino oderifero, q. s.

Tiriaca.

℞ Tiriacae veter. ℈ ij.

Puluis.

℞ Boli armeni praeparat; ℈. j. Cynamomi interior. ℈. 5. Tormentillae. ℥. ij. Diptami, Radic. Enulae Valerianae ā ℥. j. Been al: et ru: ā ℥. iβ. Semin. Citri, Acetosae, Bethonicae, Cassiae ligneae, Sandali utriusque ā ℥. 5. Oss. de cord. cerui ℈. j. Margaritarum Saphiri, Smaragdi, Granatorum, Jacinct., ā ℈. 5. Ligni aloes. ℥. 5. Ambrae griseae. gra: v. Zuccari duplum omnium, fiat puluis.

Noduli.

℞ Cortic. Citri, Ligni aloes, Sandali Citr. Rubr., ā ℥. iβ. Rosar. rubrar., Mellissae ā m. j. Storacis calamit, Laudani Pini ā ℥. ij. Ambrae griseae. gra: iiij. Incidenda incidantur contundenda contundantur fiant duo Noduli syndone obducti.

Syrupus.

℞ Syrupi de pomis, De Bugloss., De Citro ā ℈ iiij. Misce, signetur Syrup:.

Wasser.

℞ Aquarum violarum, Buglossae, Rosarum, Acetosae, Mellissae ā ℈. ij. ℥. Misce, signetur Wasser.

Electuarium.

℞ Specierum, letificant. al. Librant. ā ℈ j. Diacitonicon cum speciebus, Conserva Rosarum, Buglossae ā ℈ j. Cynamomi electi. ℥. j. Syrup: de pomis. q. s. fiat electuarium secundum artem. Signetur, Electuarium.

13.

EX MAGDEBURGO REGIMEN.

Ex inordinato regimine qui perierunt, neglecti creduntur, Volebant enim xxiiij. horis indifferenter omnes sub tegumentis, iacere sine somno, quod caeteri propter calores, alii propter somnum, non poterant sufferre, Jam conceditur eis qui in eam infirmitatem quae aliis cum tremore et frigore quasi febris, aliis vehementi sudore et vertigine accidit, adeoque etiam volentes non possunt saltem aere se in continere et ambulare. Itaque mox dum senserint ponuntur in lectis, Et si lecti ex aliis rebus quam plumis sint, faciunt quidam de palea hauenae saltem cussinos sub capitibus, ne plumae augeant calores, Cooperiuntur etiam non lectis vel pellicibus, sed tegumentis de panno et lino, ut faciliter vapores et exhalationes penetrent, bene custodiuntur, ne aer aliquod membrum offendat preter faciem, Caput cingunt vittis, et sic permittuntur usque sudores cessant vel donec poterunt sustinere, Interim panniculis calidis terguntur in facie sudores, nil gustantes usque releuentur, qui fortiores sunt, Sed qui debiles, bibunt modicam cereuisiam Emmerensem tepefactam ad ignem, et utuntur zuccaro candiae ac conserua: Rosarum, florum muscat. et aliis confortatiuis contra sitim vehementem. Et si ab urina vel alias stringuntur, datur eis tepidum urinale, cautius tamen ne aer subintret ad membra, Eo modo iacent alii 4. alij 6. alij 8. alij 10. alij 12. vel 14. 16. 18. 20. aut 24. horis prout singuli possunt tolerare, ne ultra vires debilitentur.

Volentes demum surgere tergunt tepidis pannis sub tegimentis in quibus iacuerunt, caute, ne grossus aer sudores repellet, per poros aptos in cutem, Demum ponuntur ad caminum vel alium ignem in loco ubi non flat aer et fucantur tepidis pannis usque non sudent. Postea porrigitur eis lenis cibus et potus, quem sumunt si volunt aut possunt, Demum iterum ad lectum reponuntur, ut dormiant si possunt vel quiescant. Oportet enim in primis sudoribus bene curare ne dormiant, Et si non potuerit caueri, forte propter debilitatem capitis, plurimi enim incidunt frenesim, melius foret eos lauare, utsupra.

Curandum est quoque ne infirmus nimium gravetur tegendo, ponatur vna duo vel tres culcitrae aut vestes super eum si poterit et velit sufferre, Si nimium ex eis grauaretur, tollatur vsque pos-

sit et quo velit sustinere, secundumque senserit se calidum vel tepidum.

Si quis in lecto nocte opprimitur ponatur super lectum quo tegitur culcitra, vsque calefiat, deinde sub culcitra lectus discrete subtrahatur ne plumae offendant, Utatur demum eger ad octo dies tepidis cibo et potu, nec lauet manus aut faciem aqua frigida, et contineat se ab aere, tum stabit intrepidus, Multi sunt vsi diuersis preseruatiuis, frustra, Caeteri sub egritudine antidot., qui obierunt, Sed qui gubernatj sunt, supradicto modo, rediere ad sanitatem: —

PARS TERTIA.

ADDITAMENTA.

I.

JUDICIA DE SCRIPTORIBUS ET FRAGMENTIS.

I. Jacobus Castricus Antverpiensis. Primo loco Grunerus Jacobum Castricum posuit, Antverpiensem, medicum apud aequales clarissimum. — Praestat vero Castrici liber plerisque ceteris cum quia alienus est a doctrinae Galenicae servitute, tum propter accuratam rerum ipsarum observationem atque descriptionem. — Genus quidem dicendi paullo festinantius est, castum tamen viroque elegantioris doctrinae satis dignum. — Heckero Castricus incognitus fuit.

II. Tertius Damianus, Gandavensis. — Multo minoris pretii est Tertii Damiani liber; plurima enim non tam ad morbi descriptionem, quam ad dogmatum Galenicorum expositionem spectant. Ceterum dicendi genus tenebricosum est atque a simplicitate alienum.

III. Wenceslaus Bayer, Lipsiensis. — Bayerus, cum scripsit (subscripta vero est praefatio d. 4. Sept. 1529), sudorem anglicum quidem nondum viderat, tamen certiorem illum fuisse de morbi symptomatis, natura atque curatione satis apparet. Nec dubitandum permultum contulisse librum, populi usui maxime destinatum, ad meliorem cum morbi tum curae cognitionem. Illa quidem ad Galenicorum morem est composita, haec vero simplex atque rationi congrua.

IV. Euricius Cordus, Marburgensis. — Scriptus est Cordi libellus in epidemiae Marburgensis initio, paucos tamen viderat auctor aegrotos. Eo magis abundat medicamentorum formulis.

V. Hermannus a Nuenare, Coloniensis, et Simon Riquinus. — Nuenare, non quidem medicus, sed vir egregiae atque

elegantissimae doctrinae, scripsit d. 7. Sept. morbo Coloniae jam grassante. Liber ejus est praestantissimus, dicendi quoque genere excellens.

Riquini, medici Clivensis, viri in Hippocratis scriptis versatissimi (Conf. p. 113 et saepius) liber, simili laude dignus est, si morbi ipsius expositionem, minori, si sermonis castitatem spectes. Scriptus est ex Benroda in agro Juliacensi a. d. 10. Sept. cum jam permultos auctor vidisset aegrotantes.

VI. Petrus Wild, Ysniensis, scripsit de morbo, quem ipse observaverat, ipso die S. Michaëlis 1529.

VII. De Antonii Brelochsii libro quid judicem proposui in fronte ejus, p. 125.

VIII. Joannes Hellwetter, Lipsiensis, vidisse quidem se morbum contendit, (p. 149) tamen, sicut recte jam Grunerus monuit, ea praecipue de causa scripsisse videtur, ut arcana sua commendaret.

IX. Magnus Hundt, Lipsiensis, minimi omnium pretii.

X. Joannes Nidepontanus et Laurentius Frisius, Metenses. De his quoque judicium in fronte libri eorum tuli (p. 160). Nondum viderant morbum, cum scriberent (22. Oct. 1529). Laudandi sunt, quia irae divinae morbum tribuere nolunt (p. 165), Celsi ceterum gnari, (p. 176) de lapidum pretiosorum viribus dubii, (p. 168) „Plinianorum simiarum“ contemtores, (p. 174) avaritiae clericorum obtrectatores. (p. 176.)

XI. Consilium medicorum Francofurtensium. Praeceptorum therapeuticorum et brevitate et praestantia excellit.

XII. Casparus Kegeler, Lipsiensis, ipse quidem vidit morbum, (p. 188.) sunt tamen quae affert nullius pretii.

XIII. Antonii Klumpii, Uberlingensis (est vero Uberlingen oppidum suevicum ad lacum Bodamicum situm) liber editus d. 24. Novembris 1529. Auctor morbum, qui mense demum Decembri Friburgum Brisgoviense, a quo non ita multum abest Uberlingia, attigit, non vidit. — Repletus quidem est remediorum praeservativorum farragine, diaetetices nimis accurata expositione, nec tamen locus inter meliores de morbo libellos ipsi est denegandus. Auctori enim ad populum scribenti non id curae fuit, ut morbi, cujus naturam optime cognoverat, originem, decursum atque symptomata explicaret, sed ut curandi ejus praecepta commendaret. Ita ne unum quidem invenies, quod fere mireris in scriptore saeculi

XVI. locum ex Galeno vel Avicenna citatum. Denique cura ipsa composita est ad Anglorum de morbi therapia experientiam.

Tamen Klumpius, ut ex Schillero colligitur, qui ceterum summopere eum laudat, „vix malevolorum cachinnos morsusque praeteriit.“ (p. 276.)

XIV. Sigismundus Kröllius, Magdeburgensis. En scriptorem prae ceteris eximium! Praestat enim libellus accurata rei cognitione, sincero veritatis amore atque simplici curandi ratione.

XV. Pari laude dignissima sunt quae sequuntur Regimen Norimbergae impressum et

XVI. Regimen, quod ab Hamburgo Vitebergam pervenit. (p. 234.)

XVII. Joannes Volg, Ambergensis. Minoris pretii liber, superstitiosarum ridicularumque passim opinionum haud expers. Accedit, quod auctor (insuper dicendi genere rudissimo, idiomate scilicet bavarico, usus) morbum ipse non vidit.

XVIII. Joannes Rhomming, Landishutensis. Liber vulgari usui conscriptus, tam concinna morbi descriptione, quam curationis simplicitate egregius. Procul dubio Rhommingius ipse morbum observaverat.

XIX. Georgius Gundelfinger, Nordlingensis, librum ultimo d. Novembris 1529 edidit. Prius jam latine prodierat, hujus vero editionis ne vestigia quidem supersunt. Ceterum libellus ex melioribus est.

XX. Theobaldus Fettich, Wormatiensis. Minoris pretii.

XXI. Joachimi Schilleri, Basileensis medici, liber, anno demum 1531 editus, germanicorum, cum argumenti plenitudine, tum rerum ipsarum tractatarum sollertia, doctrina et elegantia, sine dubio princeps, eamque ob causam cum Cajo tantum Britannico comparandus. Quid quod cel. Heckerus Schillerum etiam Cajo anteponat [1])! Difficile est judicium. Attamen mihi Cajus morbum accuratius descripsisse Schillero, et dicendi quoque genere superare eum videtur.

XXII. De Cajo denique Britannico quid dicam! Hoc unum addam iis quae a Grunero in fronte libri latini proposita et ab Heckero doctissime disputata sunt, libellum anglicum prodiisse longe prius quam latinum. Illius enim praefatio scripta est d.

1) In editione Caji Heckeriana. Praefat. p. IV.

1. Aprilis 1552, hujus d. 14. Januar. 1555. — Latini libri initium genere dicendi excellit fere Celsiano, descriptio terroris, sudore pestifero undique excitati, a poëtarum fervore haud aliena est. — Quae vero sequuntur, ne commentatione quidem de cerevisiarum coctione excepta, a vulgari scriptorum medicorum sobrietate minime abhorrent. — Nihilo minus Cajus omnium, qui de sudore anglico scripserunt, princeps putandus est.

Restat, ut quae ex fragmentis gravioris sint momenti, breviter dicam. —

Ex his vero anglica, ne uno quidem excepto, plurimum valent ad historiam sudoris pestiferi in ipsa Anglia explicandam, praesertim quum excepto Cajo, a medicis anglicis nihil de morbo illo literis traditum sit.

Belgicorum fragmentorum ea, quae loco tertio, quarto et quinto recencentur primaria sunt.

Ex longa fragmentorum germanicorum serie gravissima sunt loci Erasmi (No. 3.), Nicolai ab Klempzen (No. 8.), Reimari Kock (No. 9.), Chronicorum Argentoratensium (No. 11.), Eggerici Beningae (No. 15.), Achillis Pirminii Gassari (No. 20.), Cyriaci Spangenbergii (No. 25.), Caspari Hennebergeri (No. 27.), Engelberti Werlichii (No. 28.), Martini Crusii (No. 29.), Tobiae Schmidtii (No. 38.), Achillis Augusti Lersneri (No. 43.), Joannis Petri Kayseri (No. 47.), Historiae Gottingensis (No. 48.).

De fragmentis helveticis, danicis, suecicis etc. non habeo, quod moneam, nisi quod pleraque nunc primus collecta prodeunt. — Ex fragmentis denique medicis Agrippae, Fernelii, Foresti, Giltzheimii scripta primo loco censenda sunt.

II.

COMMENTATIO DE SUDORIS ANGLICI HISTORIA ATQUE NATURA.

A.

MIGRATIONUM SUDORIS ANGLICI SUCCINCTA DELINEATIO.

Epidemia prima.
1486.

Primum in Anglia sudor pestiferus comparuit anno 1486 [1]) paullo ante proelium Bosworthi commissum, mox post d. 7. Aug., quo rex Richardus ab Henrico, comite Richmondiae, victus est [2]). Multo, magis vero propagata est lues post illam pugnam (d. 22. Aug.) ita quidem ut celerrimo cursu universam insulam, ab occidentalibus potissimum partibus ad orientales et australes vergens, permigraret. Hoc autem modo factum est, ut usque ad finem Decembris omnem insulam perlustraretur [3]). — Oxonii jam fine Augusti fuit, per sex hebdomades durans [4]). Londini medio Septembri prorupit, fine demum Octobris subito evanuit [5]). Ingentes ubique edidit strages, ita ut vix centesimus ex morbo medicis inaudito evaderet,

---

1) Secundum ea, quae a Grunero supra (p. 357 et 407 seq.) proposita sunt de varia annorum in Anglicana et Romana ecclesia computatione, minime dubitandum, non anno 1485, ut a plerisque traditur, sed anno 1486 primum in Anglia sudorem apparuisse. Heckerus quoque eam varietatem, cujus Grunerus jam in Itinerario (Jenae, 1805, 8. p. 5.) meminerat, et in libro suo „Der englische Schweiss“ (Berlin, 1834.) et in commentatione, quae in „Encyklopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften“ (Berl. 1844, Bd. 32) excusa est; neglexit. Eadem valent de ceteris sudoris anglici epidemiis.

2) Kaye, p. 319. Anonymus Croylandensis p. 408 seq.

3) Holinshed, p. 411.

4) Antonius a Wood, p. 419.

5) Ibid. — P. v. D. p. 421.

multi vero bis corriperentur [6]) Symptomata morbi eadem, quae in sequentibus epidemiis observabantur. Ad curationem optime „*medius calor*“ conveniebat [7]).

Epidemia secunda.
1507.

Perpauca sunt, quae de hac epidemia, Londini primum prorumpente, leguntur. Ceterum mitior fuit praecedenti, multoque minores edidit strages [8]).

Epidemia tertia.
1518.

Sudoris autem tertio redeuntis furor primae quoque epidemiae malitiam superavit. Initium cepit mense Julio, haud raro duo horarum spatio letalis, plebi imprimis funestus, nec tamen proceribus omnimo parcens [9]). Multis locis tertia, dimidia imo hominum pars exstincta fuisse fertur [10]). Londini Augusto et Septembri, nec minus in reliquo regno furebat usque ad anni exitum, Scotia et Hibernia iterum prorsus immunibus. At Caletum, in Galliae ora occidentali, tentavit, sed admirabili modo Anglos tantum ibi tetigisse dicitur [11]). — Denique post sudorem „pestis“ devastasse Angliam refertur.

Epidemia quarta.
1529.

Sudor anno 1529 epidemicus prae ceteris cum symptomatum vehementia, tum eo memorabilis, quod per magnam Europae partem propagatus est.

Primum ultimis Maji diebus [12]) Londini prorumpens, maximas-

---

6) Polydorus Virgilius, p. 410.

7) Ant. a. Wood, l. c.

8) Conf. Stow, Grafton, Holinshed.

9) Mortuus est ista lue inter alios, testante Moro (p. 415) Andreas Ammonius, regi Henrico VIII ab epistolis. Oxonii, quod saepe legitur morbis pestiferis esse vastatum, (cum ex nimia incolarum, studiosorum imprimis, multitudine, tum fluviorum vicinorum inundationibus), sicut et Cantabrigiae, multos doctores abripuit. (A. Wood, 420.)

10) Herbertus, p. 417.

11) Cajus, p. 367 et 376 Erasmus, p. 435.

12) Teste le Grand (p. 488.) d. 4. Junii demum Londini apparuit.

que ibi cum strages, tum terrores edens [13]), subito omne regnum pervasit, Scotia et Hibernia nunc quoque intactis. At quando furere in Anglia desierit, non legitur.

Relicta Anglia primum, quantum ex annalibus colligitur, Hamburgi apparuit, die 25. Julii, dies ibi perdurans viginti duo sive, ut alii dicunt hebdomades 4 — 5, plus mille exstinctis [14]). Navi ex Anglia reduce advectus credebatur morbus [15]), nautis jam in itinere afflictis [16]), consueto in morborum epidemicorum historia, febris flavae praesertim atque Cholerae asiaticae, errore.

Post Hamburgum Lubeca morbo afflicta est, inde a d. 30. Julii [17]). — In ducatu Megalopolitano, ex. gr. Rostochii, Boizenburgi [18]) et in monasterio Ribnitiensi [19]) jam d. 14. Augusti late vagatus est; d. 17. Sept. nondum disparuit [20]). — Sub finem Augusti in Pomerania, v. gr. Gardelegae [21]), Stralsundi [22]) apparuit; Stettini d. 27. Augusti initium cepit. Duo dierum spatio ibi permulti aegrotarunt, quarto Septembris die malum furere desiit [23]). Gedani primo Septembris die prorupit; tres tantum dies ibi regnasse fertur [24]). Thorunum quoque et Culma afflicta sunt [25]). — In Borussiae ea parte, quae singulari notione Prussia dicitur, Septembri, Regiomontii v. c. circa d. 8. Sept. [26]) vagata est lues. Silesiam quoque et Marchiam occupavit [27]).

Eodem tempore et paullo post, i. e. circiter inde a d. 25. Sept. Dania, Suecia, ex. gr. Holmia, Ridboholmia et Helsin-

---

13) Ex 40000 (vel, ut le Grand dicit, 11000) aegrotis mortui sunt 2000 (i. e. vigesimus quisque). — Plus centum millia hominum testamenta deposuerunt. (de Larrey, p. 424.)

14) Chronicon Hamburgense, p. 519.

15) Anonymus Hamburgensis, p. 517.

16) Anon. Hamb. p. 518.

17) Giltzheim, p. 509.

18) Joh. Smeth, p. 521.

19) Slagghert, p. 521.

20) Dav. Franck, p. 472.

21) Chr. Schulze, p. 466.

22) Berckmann, p. 519.

23) Reimar. Kock, p. 442.

24) Reinh. Curicke, p. 466.

25) Gottfr. Lengnich, p. 468.

26) Casp. Henneberger, p. 459.

27) Benj. Gottl. Sutorius, p. 472.

gora [28]), Norvega, Livonia, Lithuania, Polonia (— „*Poloniam furiose perambulavit*“ — [29])) et Russia sudore afflictae sunt [30]).

Eodem tempore versus meridiem et orientem sudor propagatus est. — Frisia omnisque mari baltico adjacens ora, Oldenburgensis terra jam aestate morbum perpessae sunt [31]), ita tamen, ut supra quatuordecim dies nusquam perseveraret. Similiter in terra Bremensi [32]) et Verdensi, Hannoverana (Gottingae imprimis letalis fuit [33])) Westphalica jam versus finem Augusti, ad Visurgim fluvium [34]), in regione Brunsvicensi, Luneburgensi, Eimbeccensi atque in terra Hadelensi paullo post prodiit [35]).

Ad Rhenum medium et superiorem, in Bavaria et Austria ineunte Septembri sudor longe lateque vagatus est. Francofurti ad Moenum d. 11. Sept. incepit, d. 11. demum Novembris desiit [36]); in agro Juliacensi, Coloniensi et Leodiensi medio Septembri [37]), Spirae circa d. 24. ejusdem mensis [38]) apparuit. Wormatiam quoque afflictam fuisse testantur Wild et Fettich [39]). Marburgi in fine Septembris prorupit finemque imposuit conventui reformatorum, Lutheri scilicet et Zwinglii [40]). Correpti vero sunt Marburgi tantum quinqua-

---

28) p. 482. seqq.

29) Forestus, p. 500. — Cracoviam v. c. tentatam fuisse, eo colligitur, quod in ea urbe liber (— prorsus ut videtur deperditus —) Joh. Benedicti prodiit. Conf. supra librorum de sudore anglico enumerationem.

30) Reimarus Kock, p. 444.

31) Eggerik Beninga, p. 451. — Hamelmannus, p. 461. Hic vero demum circa d. 28. Sept. sudorem in tractu Oldenburgensi apparuisse narrat Frid. a Wicht, p. 462.

32) Bremae vero tantam clementiam praebuit, ut vix quadraginta homines, ex proceribus imprimis, abriperentur. (Joann. Rennerus, p 448.)

33) Hist. Gottingensis, p. 470.

34) Nic. Erbenius, p. 467.

35) Henr. Bunting, p. 455. — Joh. Letznerus, p. 460.

36) Achill. Aug. v. Lersner, p. 467.

37) Herm. a Nuenare et Sim. Riquinus.

38) Joh. Gualterius, p. 31. Indictae sunt feriae supremi judicii imperialis ad mensem unum d. 24. Sept. — Die 27. Sept. mortuus est sudore Georgius, episcopus Spirensis. Mich. Beuther, p. 453.

39) Wild, p. 120. — Fettich, p. 270.

40) Joh. Sleidanus, p. 450.

ginta, ex quibus unus vel duo perierunt [41]). In confiniis vero hujus urbis tertiam hominum partem id malum sustulisse legitur.

Prae ceteris Augusta Vindelicorum afflicta est. Perdurabat enim sudor hac in urbe a d. 6. Sept. usque ad medium Novembrem, ita ut primis quinque diebus quindecim millia aegrotarent, octingenti vero morerentur; Novembri deinde intra quatuordecim dies ex ter mille aegrotis sexcenti exstinguerentur [42]). — Similiter Campoduni plus quam trecenti perierunt [43]). Landishutae teste Rhommingio [44]) adfuit.

Norimbergae mox post nundinas Francofurtenses [45]) Argentorati (aegrotarunt una hebdomade plus quam tria millia, defuncti sunt perpauci [46])), Friburgi Brisgoviae [47]) et in Alsatia (verbi causa Gebweileri, Mulhulsi) circa d. 24. Sept. sudatum est [48]). Metis quoque regnasse sudorem legimus [49]). Novembri mense Suecia, Badenia, Rheno superiori adjacentes provinciae et Palatinatus id malum sensere [50]). Heidelbergae [51]) et Memmingae [52]) ex. gr. permulti obierunt, Stuttgardiae contra ex quatuor millibus aegrotantium mortui tantum sunt sex [53]). Uberlingae Novembri grassata est [54]), Francodaliae quoque [55]) et Lutrae caesareae [56]).

Eodem tempore media pariter et orientalis Germania sudorem perpessae sunt. Franconia (ex. gr. Meininga [57]))

---

41) Lutherus, p. 433.
42) Achill. Pirm. Gassarus, p. 453. — Engelb. Werlichius, p. 459.
43) Eng. Werlichius, p. 460.
44) Rhomming, p. 253.
45) Chron. Norimberg. p. 447.
46) Chron. Argentor. p. 445.
47) Schillerus, p. 283.
48) Chron. Gebweiler. p. 444.
49) Nidepontanus et Frisius, p. 157.
50) Joh. Petr. Kayser, p. 469.
51) Ibid.
52) Christ. Schorer, p. 466.
53) Mart. Crusius, p. 460.
54) Klump, p. 193.
55) Joh. Petr. Kayser, p. 469.
56) Ibid.
57) Güthe, Poligraphia Meiningensis, Goth. 1676. 4. p. 233.

Thuringia (imprimis Erfordia[58])) et Saxonia, Lipsia praesertim[59]) (Misena quoque, Mügelia, Dresda, Leisnigia, Gera, Lusatia, Soravia a scriptoribus posterioribus nominantur) graviter afflictae sunt. Magdeburgi 800 — 1000 aegrotabant, moriebantur 20 — 30[60]), sive ut alii dicunt 55[61]). Dobeliam quoque et Ascaniam tentatas legimus[62]). Similiter in ea parte Saxoniae, quae a montibus aere divitibus nomen gerit, Zuiccaviae imprimis[63]), Schneebergae et Annabergae, malum saeviit. Freibergae mense Octobri trium hebdomadum spatio 300, vel, ut alii dicunt 600 homines sudore perierunt. —

In Batavia (quae Gallia belgica tunc temporis vocari solita est) quatuor hebdomadibus serius quam Hamburgi sudor prorupit. Ex tractu Clivensi secundum Rheni litora Geldriam, Westphaliam, Trajectinam terram, Hollandiam et Brabantiam permigravit. Antwerpiae d. 27. Sept., cum coelum nebulosa caligine obrutum esset, subito exarsit, trium vel quatuor dierum spatio quingentos exstinxit[64]) die 13. Oct. adhuc regnavit; tanta vero fuit aegrotorum copia, ut saepe in una domo languerent 7 — 8. Antverpiae, „*sicut et in aliis Germaniae urbibus*“ morbi causa „*ad pias preces itum est*“ et „*Amburbalia annua*“ instituta sunt[65]).

Amstelodami eodem die quo Antverpiae (i. e. d. 27. Sept.) lues orta est, hic vero tres tantum vel quatuor dies „populatim“ regnasse legitur[66]).

Post Antverpiam Gandavum et Brugae Flandrorum sudorem perpessae sunt. Postea Harlemi quoque et in locis vicinis[67]), Macliniae, Bruxellis, Silvae Ducis et Dordraci, uno verbo in universa Hollandia regnavit, ita ut ab initio uno

---

58) Chronica Erfurtensia, p. 451.
59) Tob. Heydenreich, p. 463. — Georg. Heltus, p. 525.
60) Lutherus, p. 434.
61) Stromerus, p. 526.
62) Const. Moerbitz, p. 468. — Casp. Abel, ibid.
63) Tob. Schmidt, p. 465.
64) Forestus, p. 501.
65) Ludov. Guicciardinus, p. 429.
66) Forestus, p. 501.
67) Ibid.

die multa millia perirent [68]), intactis solum Alkmariensibus et Waterlandis [69]).

In Helvetiam sudor pestiferus auctumno et ineunte hieme pervenit, et quidem Basileâ Solothurnum, deinde Bernam petiit; in regionibus imprimis planioribus apparuit [70]). Accuratiora vero de propagatione non leguntur. Bernae circa diem 18. Dec. illum apparuisse credendum est; hoc enim die senatus Bernensis regimen de profligando morbo edidit [71]).

Haec sunt certa et idonea de sudoris anglici anno 1529 regnantis migrationibus testimonia. Quae praeterea passim apud scriptores aetate posteriores leguntur, aut falsa sunt aut maximopere dubia. Ejus generis v. gr. sunt, quae Reydelletius habet de sudoris anglici in Gallia quoque, quae hodie Franco-Gallia nominatur, propagatione [72]). Quid quod etiam „in metropoli“ (i. e. Parisiis) morbum regnasse scriptorum aequalium fide probari auctor contendat. Tamen nihil omnino istis fidendum; desiderantur enim cum testium illorum nomina, tum nec Gruneri nec Heckeri sollertiae contigit, ut unum certe istorum testium detegerent. Vehementer itaque vereor, ne Reydelletius, cum de sudoris migrationibus in „Gallia“ (i. e. belgica,) legeret, Galliam proprie sic dictam intellexerit, et ea, quae de Antverpia valent, Lutetiae tribuerit. Accedit, quod Fernelius, scriptor franco-gallicus et aequalis, expressis verbis de sudore Galliae belgicae communi loquatur.

Num Italia viderit sudorem, maxime incertum est. Leodius quidem testatur „laboratum fuisse eo per totam Italiam [73]).“ Tamen non dubito, quin memoriae calamique lapsus subsit, legique pro „Italia“ debeat Germania. Legitur quidem in margine quoque ejus loci vox „Italia,“ facillime tamen talis vocabulorum conversio accidit iis, qui, sicut Leodius, per longum tempus extra patriam degerunt.

Ita si breviter iterum dicendum est, sudor anglicus anno 1529 Angliam, Germaniam universam, imprimis septentrionalem, Daniam,

---

68) Forestus, p. 498.
69) Forestus, p. 501.
70) Anshelm, p. 477.
71) Mich. Stettler, p. 475.
72) Reydellet, in „Dictionn. de sciences med.“ sub articulo „Suette.“ —
73) Thom. Leodius, p. 491.

Succiam, Norvegam, Poloniam et Russiam, — Bataviam et Helvetiam afflixit, ceteris Europae gentibus, iis praesertim, quae terras austro et occidenti vicinas incolunt, ex. gr. Gallis, Italis, Hispanis et Lusitanis omnino pepercit. —

TABULA CHRONOLOGICA DE SUDORIS ANGLICI PER ANNUM 1529 PROPAGATIONE.

Majus.

16. **(Pentecoste.)** Circa Pentecost. usque ad d. S. Jacobi (25. Julii) in Pomerania multi subito inter labores manibus et pedibus resolvuntur.
30. Sudor Londini oritur.

Iunius.

24. **(Johannes Bapt.)** Caloris usque ad hunc diem urentis in pluvias, frigus et nebulas usque ad d. 24. Aug. commutatio.
29. **(Petrus et Paulus.)**

Iulius.

21. Sudor Londini desinere coepit.
25. **(Jacobus.)** Circa (Paullo ante) hunc diem sudor Hamburgi oritur.
30. Sudoris Lubecae initium.

Augustus.

1. **(Vincula Petri.)** Rhemb. Giltzheim sudore laborat.
8. **(S. Cyriacus.)** Rhemb. Giltzheim libellum suum mittit ad ducem Henricum Megalopolitanum.
10. **(Laurentius.)** Processio Gottingana? — Ab hoc die usque ad d. 13. Boizenburgi mortui sunt sudore homines sexaginta.
14. Zuiccaviae 19 homines sepeliuntur.
15. **(Assumptio Mariae.)**

16. In monasterio Ribnitiensi ab hoc die usque ad d. 29. Aug. viginti quinque monachae aegrotant, moritur vero nulla.
24. **(S. Bartholomaeus.)** Circa h. d. Argentorati sudor saevit. — Processio Gottingana?
27. **(S. Rufus.)** Stettini sudor incipit. Verdae moritur „Arp von Hoffe.“
29. **(Decollationis Johannis.)** Sudor Hamburgi desinit.

Inde a die 16. usque ad d. 29. Augusti Hamburgi, Lubecae, Wismariae, Rostochii et Gryphiae sudor vagatur.

September.

1. **(Aegidius.)** Sudor Gedani incipit. —
   Zuiccaviae libellus typographi Frantzii prodit.
2. Euricius Cordus Marburgi librum de sudore edit.
3. Frantzius typographus Zuiccaviae sudore moritur.
4. Bayerus, Lipsiensis, librum de sudore edit. Sudor vero Lipsiae nondum comparet.
5. Circa hunc diem Rostochii epidemia initium capit.
6. Augustae Vindelicorum sudor prorumpit. Inde ab hoc die usque ad 11. aegrotant 15000, moriuntur 800. —
   Zuiccaviae moritur pharmacopola Joann. Franck.
7. Nundinarum Francofurtensium initium. —
   Coloniae multi sudore laborant. Comes Nuenarius de fuga cogitat.
8. **(Nativitas Mariae.)** Marburgi ad hunc usque diem unus aegrotavit, sed convaluit.
   Breviter post hunc diem Regiomontii sudor incipit.
   Stettini sudor desinit.
10. Riquinus librum suum edit (Benrodae in agro Iuliacensi).
14. **(Exaltatio S. Crucis.)** Sudoris Francofurti ad Moenum initium.
21. Circa hunc diem Norimbergae sudor incipit.
24. Spirae sudoris causa a supremo judicio imperiali feriae indicantur unius mensis.
27. Antverpiae et Amstelodami subito sudor oritur.
   Spirae episcopus Georgius sudore abripitur.
29. **(S. Michaelis.)** Circa hunc diem Basileae, Mulhusi, Leodii sudatur. Hafniae sudore uno die exstinguuntur 400.

October.

1. Iris et Sol spurius Augustae Vind. observati. — Amstelodami sudor regnare desinit.
3. Synodi Marburgensis initium. Aegrotabant sudore circiter 50, mortui 1—2. Simul Vitebergae et Serbestae sudatur.
6. Synodi Marburgensis finis („amice discessum est").
13. Castricus librum suum edit.
15. Gandavi sudor.
20. Brugis Flandrorum sudor.

November.

11. **(Martinus.)** Sudoris Francofurti ad Moenum finis. Novembri demum Augustae Vindelicorum sudor finitur. Eodem mense Campoduni quoque et Stuttgardiae sudor populariter grassatur.

December.

18. Edicti senatorii Bernensis de sudoris curatione editio. — (Aegrotaverunt Bernae 300, mortui 3.)

Epidemia quinta.
1551.

Quinto pestiferus sudor in Anglia comparuit anno 1551, consueta ut videtur coeli ratione excitatus [1]). Exordium cepit a Salopia (Anglis Shrewsbury dicta) provinciae Shropshire in limitibus Valliae oppido. Sita est Salopia ad Sabrinam fluvium (Severn Anglis dictum) Macandro similem, cujus litora inde a veris initio densissimis et graveolentibus nebulis fuerant cooperta [2]). Subito die 13. Aprilis [3]) Salopiae malum ortum est, paucorum dierum intervallo noningentos exstinxit, insolito tunc furore celerrime undique progrediens, nebularum pestilentium, ut videbatur, vestigia sequens.

---

1) Conf. infra caput de morbi causis. — Anno 1551 d. 16. Januarii Thamesis fluvius Londini intra novem horas ter praeter omnem consuetudinem fluxisse et refluxisse legitur. Nicol. Sanderus, p. 415.

2) Conf. de hujus fluminis natura Camdenum, p. 353, nota 3. — Franc. Godwinus, p. 416.

3) „D. decim. septimum calend. Majas." Caj. p. 352.

Post Salopiam Ludlovia, Prestene aliaque Valliae loca, tunc Chestria occidentalis („Westchester"), Coventria, Drenfoordia et alia Angliae australis oppida tentata sunt [4]). Quantopere omnium animos commoverit horrenda lues, egregie Cajus descripsit [5]). De fuga cogitare omnes, quam plurimi ad Scotos et Hibernos, nunc quoque intactos, et ad Gallos se recipere. — Cantabrigiae plures ex nobilibus sublatos nominat Fullerus [6]). — Londini sudor, a plaga australi et occidentali ad borealem et orientalem vergens, demum die 7. Julii ut Cajus [7]), vel die 9. Julii ut alii referunt, propullulavit, tanto furore, ut prima hebdomade 800, vel, ut alii referunt, paucis diebus 960 homines exstinguerentur [8]). Ex. gr. die decimo Julii 100, die 12. Jul., quo summa mali saevitia erat, 120 mortui sunt [9]). Tamen publica fide constitutum est, inde a d. 8. Julii usque ad d. 19. non plus quam 872 Londini sudore fuisse sublatos [10]). Maxime infestum fuit malum triginta usque ad quadraginta annos natis. Qui ab initio frigebant, intra tres horas exstincti sunt, eodem modo qui ante sextam horam somnum non evitarunt delirantes exspiraverunt. Evasuros non amplius quam novem vel decem horas morbus vexavit [11]). Rex Eduardus VI. Londino relicto Hampton-Curtum, inde ab alio loco in alium se contulit, morbi causa legati gallici solemnia adventitia non habita; d. 15. Julii ab episcopo preces publicae indictae sunt [12]).

De morbi migrationibus praeterea nihil legitur, nisi quod Londinensi civitate relicta ad occidentales et septentrionales Angliae partes sese convertisse ibique sub finem Augusti diminutum fuisse, fine denique Septembris disparuisse dicitur [13]). — Angliae caeterum fines epidemia hujus anni non transgressa est. Unus est

---

4) Cajus, p. 321.
5) Cajus, p. 353.
6) Joh. Fullerus, p. 418.
7) Cajus, p. 352.
8) Cajus, p. 321. Holinshed, p. 413. — Strype, p. 426.
9) Gilbert Burnetus, p. 422.
10) Strype, p. 425. — Apud eundem leguntur nomina nobilium a morbo sublatorum.
11) Gilbertus Burnetus, p. 422.
12) Strype, p. 425.
13) Cajus, p. 426.

Cajus, qui refert, Caleti, Antverpiae et in aliis Brabantiae locis sudasse Anglos, unum alterumve praeterea Anglorum vivendi rationem sequentem.

B.

SUDORIS ANGLICI DESCRIPTIO.

1. Decursus morbi.

Leguntur quidem apud complures de sudore anglico scriptores symptomatum morbo communium descriptiones satis accuratae, ut apud Jacobum Castricum [1]), Tertium Damianum [2]), Joannem Rhommingium [3]) Georgium Gundelfingerum [4]), Joachimum Schillerum [5]), atque imprimis apud Joannem Cajum [6]); absoluta vero et quae integram praebeat morbi imaginem delineatio reperitur apud neminem. Neque id mirandum. Fere omnes enim non eo consilio scripserunt, ut qualis esset morbus sed quomodo curandus docerent. Itaque plena atque absoluta morbi imago ex singulis auctorum descriptionibus componenda est. Imago autem hoc modo comparata satis vera judicanda; est enim communis morborum epidemicorum, imprimis pandemicorum, quos vocamus, lex, ut ratio eorum locorum atque temporum diversitate vel omnino non vel parum immutetur.

De *subitaneo* morbi impetu omnes consentiunt. — Plerumque noctu, imprimis versus auroram malum prorupit. *Symptomatum* vero *praeliminariorum* varia fuit ratio. Alios enim primum *tristitia* et *metus*, alios *calor* affecit [7]); plerosque tamen morbus febrium acutarum more leviori vel graviori *horripilatione*, nonnumquam manifesto *frigore* [8]) aggressus est, insequentibus legitimis febrium symptomatis.

---

1) Jacob. Castricus, p. 6. et 12.
2) Tertius Damianus, p. 22.
3) Joann. Rhommingius, p. 253.
4) Georg. Gundelfingerus, p. 263.
5) Joach. Schillerus, p. 305.
6) Joann. Cajus, p. 321. et 359.
7) Regimen vitebergicum, p. 232. — Gundelfinger, 263. —
8) Schiller. p. 305.

Frigoris autem varia fuit ratio. Plerumque *mediocris horripilatio* et membrorum *rigor* aderant [9]), at interdum vehementius frigus insistebat, ita ut dentes convellerentur [10]). Damianus *„nervorum convulsiones“* refert, *„tam in brachiis, quam cruribus per vices ambulantes* [11]).“ Idem de *„dolorosis extremitatum puncturis, nervorum contractionibus, plantarum pedumque doloribus, extremitatum obstupefactione,“* loquitur [12]). Gravissimum est, quod Tyengius apud Forestum refert: *„ungues potissimum excruciat, alas ita comprimit, ut etiamsi velis non possis attollere* [13]).“

Similiter Cajus de *cervicis, scapularum vel brachiorum et crurum doloribus* loquitur [14]). *„Aliis vero,“* inquit, *erat sensus veluti spiritus aut flatus calidi per membra ea discurrentis.“* Similiter Nicolaus ab Klempzen *formicationis* cujusdam *in manibus atque pedibus* meminit [15]) et Giltzheimius refert *formicationis sensum a binitio per brachia externe, deinde in digitis interne* adfuisse [16]). Simul totius corporis *debilitas* aderat, *„ita, ut pedibus insistere vix valeant* [17]).“ — Sunt quoque qui inter praecursoria morbi signa *capitis doloris, vertiginis* [18]) atque *syncopes* [19]) memineriint.

Frequentissimum vero eorum, quibus initia morbi erant stipata, *cordis* fuit affectio: *„Perturbatio circa pectus et thoracem cum tristitia et anxietate* [20])“ *„angustia circa praecordia, cum pulsu et tremore cordis* [21])“ *„indesinente cordis palpitatione* [22])“ *„nimius angor* [23])“ *„vehementissimae cordis anxietates* [24]).“ — Apud alios

---

9) Cajus, p. 359.
10) Wild, p. 121.
11) Tert. Damianus, p. 34.
12) L. c. p. 35.
13) Forestus, p. 500.
14) Cajus, p. 321. et 359.
15) Nicol. ab Klempzen, p. 441.
16) Giltzheim, p. 511.
17) Castricus, p. 12. — Gundelfinger, p. 263.
18) Hellwetter, p. 150. — Rhomming, p. 256.
19) Klumpius, p. 196. — Gundelfinger, l. c. — Schillerus, p. 305.
20) Castricus, p. 6. — p. 232.
21) Castricus, p. 12. — Schillerus, p. 305.
22) Fernelius, p. 497.
23) Tert. Damianus, p. 22.
24) Klump, p. 196.

de *plenitudine et doloribus pungitivis circa praecordia* mentio injicitur [25]), qui *ab octava imprimis usque ad duodecimam morbi horam* vexabant [26]). — Satis credibile est, quod Damianus addit „*anhelo spiritu subinde molestatos*“ fuisse aegrotos [27]) sanguinisque ex naribus in aliquibus factum esse stillicidium [28]).

Neque tamen praeterea gastrica quae dicuntur symptomata defuerunt, satis interdum gravia. Ita ex. gr. de *vomituritionibus* et *vomendi conatibus* [29]), de *nausea et vomitu* [30]) legimus. Eorundem meminit Cajus, addens, iis fere haec evenisse, quorum stomachus, cum aegrotassent, repletus fuerit [31]).

Symptomata haecce frigoris stadio propria saepe, in Anglia imprimis ut videtur, tam gravia erant, ut aegroti tertiam horam non superarent; haud raro contra, in Germania potissimum, levissima tantum frigoris vestigia aegrotos tetigerunt, in aliquibus ne haec quidem adfuerunt [32]).

Frigoris stadium horae dimidiae vel aliquanto diutiore spatio circumclusum [33]) *caloris* vel *sudoris* potius stadium (uterque enim „*calore quoque paullatim invalescente*“ simul oritur) secutum est.

Hujus quoque stadii varia fuisse videtur ratio. Omissâ enim varia totius stadii vehementiâ, (levissimum vero fuisse nonnunquam perhibent complures [34])), communis caloris et sudoris conjunctio non raro immutata est ita, ut vel sudorem calor exciperet, vel sudor omnino deesset. Calorem vero defuisse nusquam legitur. — Deficientis sudoris testis est Bayerus [35]), caloris post sudorem vexantis Regimen vitebergicum [36]). Huic consentit Cajus, qui statim ab initio sudorem apparuisse refert, simul cum caloris

---

25) Rhomming, p. 253.
26) Consil. medic. Francof. p. 182.
27) Tert. Damianus, p. 35.
28) Giltzheim, p. 516. — Sprembergius quoque, scriptor aetate posterior, ea testatur.
29) Regim. viteb. p. 227. — Krŏll, p. 222.
30) Schiller, p. 305. — Conf. quoque Giltzheim. p. 511.
31) Cajus, p. 359.
32) Euric. Cordus, p. 86.
33) Castricus, p. 12.
34) Ex. gr. Cajus, p. 360.
35) Bayer, p. 47.
36) Reg. viteb. p. 233.

increscentis primum interni, tunc externi sensu [37]). Calor a Tertio Damiano dicitur „*ferventissimus*," qui maxime quidem circa cor sentitur, sed etiam totum corpus tantopere urget „*ut aduri interiora videantur omnia* [38])." Sudore vero calor minime imminutus, sed plerumque auctus est. *Sitis* quoque complures meminerunt [39]). — Cajus contra, sicuti supra jam monui, fuisse dicit, quos „*nihil amplius quam levis calor sudorque blandus tentavit* [40])."

Ipsum vero caloris stadium symptomatis quibusdam conspicuum fuit a communi febrium ratione non quidem alienis, tamen rariori-bus. Pertinent huc „*rubor et inflatio faciei et maxillarum inflammatio*" quarum Castricus meminit [41]). — Ejusdem naturae est manuum „*quae in ipsa morbi vehementia prae tumore et inflatione rigidae sunt et tensae, ut claudi non possint*," intumescentia a Rhommingio, Castrico et medicis Francofurtanis commemorata [42]). Apud alios *supercilia* tantum et *labia*, *mulieribus inguina* quoque *intumuerunt* [43]). *Pedes* quoque *tumore* fuisse conspicuos Damianus testis est [44]). Similiter Anonymus Hamburgensis, multis manus, pedes, thoracem aliaque membra intumuisse auctor est, addit vero non sine exaggeratione hominibus vulgaribus sat communi, fuscam fuisse cutem carbunculi instar [45]).

Sudor vero et vehementia et natura varius erat. — Erat enim, Castrico teste [46]), „*plurimus, non roridus, sed humorosus*" „*symptomaticus, diaphoreticus, per universum corpus, praecipue vero circa pectoralia diffluens* [47])." — Damiano teste „*universum corpus sudore perfunditur adeo, ut totum ceu e balneo rediens destillet* [48])." Idem „*omne corpus ceu aqua immersum perfundi*" auctor est.

---

37) Cajus, p. 359.
38) Tert. Damianus, p. 22.
39) Ex. c. Rhomming. p. 254. — Cajus, p. 359.
40) Cajus, p. 360.
41) Castricus, p. 6. et 12.
42) Rhomming, p. 253 et 256. Castricus, p. 12. — Consil. med. Francof. p. 182.
43) Tert. Damianus, p. 35.
44) Ibidem.
45) Anonym. Hamburg. p. 519.
46) Castricus, p. 6.
47) Idem, p. 12.
48) Tert. Damianus, p. 22.

Fuit vero sudor, sicut omnes fere testantur, *graveolens*, imo „*foetoris horribilis* [50])“ ita ut cubiculum pessime redoleret [51]).

Pauca sunt quae de *pulsus* ratione leguntur. Summopere enim referente Castrico (p. 12.) metuebant, aëris externi ad aegrotum sudore defluentem aditum. Idem vero addit, post sudorem fuisse pulsum „*qualis est febre calida laborantium, mollis et undosus ex sudore, frequens et velox, diversus, et frequenter plenus, in plethoricis potissimum.*“ — Cajus pulsum simpliciter dicit „*concitatiorem, frequentiorem.*“ Fernelius „*crebrum, celerem et inaequalem* [52]).“

Periculosissima autem fuerunt symptomata quaedam, ab omnibus commemorata, in ipso sudoris stadio aegrotis minantia, *capitis scilicet dolor*, quem *delirium* [53]) atque *somnus*, vel potius *sopor* secutus est. „*Caput integrum*“ (ita Cajus) „*mens labat, inanis* adest *profluentia laquendi, intra verba desipiunt.*“ Ab hoc enim tentati (omnes vero quam maxime studebant, ne tentarentur) certo certius mortui sunt.

De temporis quo perdurabat sudor spatio maxime diversae sunt scriptorum sententiae. Causa vero est cum morbi ipsius ratio, variis locis atque temporibus varia, tum vulgi medicorumque de sudandi utilitate discrepantia. Cum enim apud vulgares homines, in Belgio praesertim atque Germania, constaret, viginti quatuor horis sudandum esse, omnes contra melioris notae scriptores, medici imprimis, arctioribus sudorem finibus circumcludi jubent. „*Durat morbi vehementia*“ (ita Castricus, scriptor prae aliis eximius), „*ut plurimum viginti quatuor plus minus horas, quandoque tamen paucioribus horis terminatur, ut XIV horis XVII aut XX* [54]). Complura de hac re atque de iis, ex quibus concludebatur satis sudatum esse, in capite de prognosi et curatione addentur. — Sudorem interdum *cutis desquamatio* videtur excepisse. „*Vidi*“ (ita

49) Idem, p. 35.

50) Castricus, p. 6. et p. 12.

51) Rhomming, p. 256. — Urinam quoque foetuisse, Wierus auctor est. Aequalium vero tale quid nemo perhibet.

52) Fernelius, p. 497.

53) Cajus, 401. *Pauci fuerunt, qui non per aliquot horas deliraverint.* (Anonymus Gallensis, p. 478.) Apud Cajum, qui accuratissime haec quoque describit, „*marcor*“ adjicitur. De hujus vero vocis sensu incertus sum. Videtur turgoris in collapsum quendam corporis commutatio, infaustum ejusmodi morborum omen omnibus notissimum, ipsa significari.

54) Castricus, p. 12.

Damianus) *„quibus etiamnum detracta sit cutis universa prae calore, ut veluti renati post adeptam sanitatem videantur* [55])."

Restat, ut de singularibus quibusdam morbi symptomatis dicamus. — Ab initio morbi aliquos minus capitis et pectoris quam *„renum, stomachi* et *ventriculi"* doloribus affectos fuisse legimus [56]). Alios *sternutatio* atque *oscitatio* vexarunt [57]). Nonnulli sanguinem quoque exspuisse dicuntur [58]). — Notatu quoque dignissima sunt, quae apud nonnullos eosque fide dignissimos leguntur de *exanthematica cutis affectione.* Non solum enim Castricus asserit *„morbillos exire apud nonnullos* [59])," verum etiam Tyengius apud Forestum testatur, *„sudorem post se reliquisse in extremitatibus corporis pustulas parvas, admodum exasperantes, diversas et malignas secundum humorum malignitatem* [60])." Maxime quidem probabile, sudamina ista fuisse; tamen ab exanthematico genere prorsus ea fuisse aliena, equidem non contenderim.

Urinae secretio, quod mireris, ne in ipso quidem sudoris stadio imminuta fuit [61]). Qualis vero fuerit, non legitur. A compluribus criseos per urinam et alvum factae injicitur mentio. Adest enim *„lotii et alvi haud modica ejectio in ea morbi specie, quae curatum itura est* [62])."

Omnium vero symptomatum gravissima sunt, quae Schillerus refert, *„tabes et decidentia membrorum"* sudoris suppressione obortae [63]). Duplex est horum verborum explicatio. Possunt enim vel ad paralysin referri vel, quod magis placet, ad sphacelum sive gangraenam spontaneam. Favet huic interpretationi, quod Schillerus addit, periculum esse *ingens,* ne talia fiant. Accedit, quod apud complures [64]) legitur, mortuorum corpora *fusca atque nigra* facta esse.

---

55) Tert. Damianus, p. 22.
56) Joh. Castricus, p. 12.
57) Georg. Gundelfinger, p. 263.
58) Joh. Castricus, l. c.
59) Joh. Castricus, l. c.
60) Forestus, p. 503.
61) Castricus, l. c.
62) Tert. Damianus, p. 35. — Castricus, p. 11.
63) Schillerus, p. 204.
64) Ex. gr. apud Bayerum, p. 50. — Expressis verbis eadem asserit Giltzheim (p. 516). Bayerus quidem, cum scriberet, morbum non vidit, sed certior factus est de ejus symptomatis per libros ex Germania inferiori acceptos. Haud improbabile igitur est, Giltzheimii epistolam Bayero fuisse cognitam.

Haec sunt, de quibus consentiunt auctores fide dignissimi, praesertim ii, qui de epidemia anni 1529 scripserunt. Plurimis Cajus quoque assentit anni 1551 epidemiam anglicam describens. In quibusdam vero hic dissentit, cum, sicut videtur, propter ipsius epidemiae ab eo observatae differentiam, tum propter accuratiorem rei descriptionem.

Tres enim formas morbus Cajo teste exhibuit. Primam eamque frequentissimam frigoris expertem, sudoris abundantia cerebrique affectione soporosa insignem. Secundam (quae in Belgio atque Germania praevaluisse videtur) in qua sudorem leve frigus praecessit. Tertia denique forma eaque levissima, quae sine febre cum modico sudore processit.

Denique de temporis spatio, quo morbus circumcludi solebat, dicendum est. Febrile morbi stadium ut plurimum horas viginti quatuor non excessit, saepissime vero multo brevior fuit morbi aut ad salutem aut mortem terminatio. Complures ejus varietatis distinguendae sunt causae. Prima est ipsius morbi vel vehementia vel lenitas, altera curae diversitas. Nonnullos enim tam vehementer morbus occupavit, ut jam secunda, tertia, sexta vel nona hora exspirarent [65]) alios tanta clementia tetigit, ut post idem temporis spatium restituti essent [66]). At vero saepissime post duodecim, viginti, viginti quatuor demum horas morbus judicatus est, nec defuerunt, qui cum primum per horas duodecim, quatuordecim etc. sudassent, iterato morbo justum et legitimum horarum viginti quatuor terminum explerent [67]).

Altera eaque primaria causa sudoris per horas viginti quatuor et quod excedit protracti fuit falsa plebis et empiricorum de sudandi necessitudine opinio, qua factum est, ut innumeri, in Germania praesertim, crudelissime ad quartum usque diem [68]) discruciarentur, vel exstinguerentur. Plura de his in capite de morbi cura dicenda sunt.

Non paucos iteratus vexavit sudor. Id jam anno 1486 in Anglia, saepissime vero anno 1529 et 1551 observatum est. Plura de his infra disputabuntur.

---

65) Jac. Castricus, p. 15.
66) Cajus.
67) Rhomming, p. 255.
68) Tyengius apud Forestum, p. 503.

2. De sudoris anglici exitibus.

1) Restitutio in sanitatem perfectam sudoribus imprimis iisque largissimis effecta est. De his satis superque disputavimus. — Haud raro aliae accedebant crises, ex. gr. *urina* critica. Laudant urinam multam v. c. Bayerus et Regimen Vitebergicum[69]). Giltzheimius deinde testatur, de restitutione in sanitatem tunc demum esse laetandum, quando urina clara et aureo colori similis facta fuerit[70]). Hoc vero post octo vel quatuordecim demum dies evenit[71]) simul cum redeunte corporis *„levitate et alacritate, omniumque partium medicori modo*[72])."

2) Facillime vero morbus recidivus factus est. Iis praecipue hoc accidit, qui cum primo afficerentur non satis sudaverant[73]). Itaque fuerunt, qui bis, ter, imo duodecies sudarent[74]).

3) Saepissime aegroti non ad integram sanitatem redierunt, sed reliquiis morbi vexati sunt. Ita *„partim ad pristinam valetudinem aegre, partim tardiuscule, partim nunquam redierunt*[75])." Primaria causa fuit curatio incauta, sudor imprimis intempestive interruptus[76]). — Praecipuae earum reliquiarum fuerunt, auctore Giltzheimio, *Colica, intumescentia corporis* (— hydropica? —) et *Icterus*[77]). Apertis verbis Erasmus testatur, sudorem in *„hydropem, epidemiam* (— i. e. pestem —) *aliosve morbos transiisse*[78])." Cajus saepissime a se anno 1551 observatos esse dicit, qui conclavi ante justum tempus relicto diarrhoea letali tentati fuerint[79]).

Omnium vero gravissimum est, quod Fernelius monet: *„Liberati diu postea languebant, omnibus cordis palpitatio conquisita, alios quidem duos tresve annos comitata*[80])." De qua re quid sentiamus, in capite de morbi natura dicetur.

---

69) Bayer, p. 59. Reg. Vitebergic. p. 235.
70) Giltzheim, p. 515.
71) Ibid. p. 516. — Nic. ab Klempzen, p. 442. — Bayer, p. 59.
72) Cajus, p. 402.
73) Rhomming, p. 255. Schillerus, p. 283. — Cajus, p. 402. — Anshelm, p. 477.
74) Cajus, p. 402.
75) Guicciardinus, p. 429.
76) Krõll, p. 224. — Cajus, p. 402.
77) Giltzheim, p. 515.
78) Erasmus, p. 435. — Conf. Anshelm, p. 477.
79) Cajus, p. 404.
80) Fernelius, p. 297.

4) Mortis denique frequentissima causa, testantibus quam plurimis iisque praestantissimis auctoribus, fuit nimia sudoris per stragula, alexipharmaca, cardiaca ejusque generis alia profluentia [81]). Quam plurimi enim hoc modo in deliria et soporem inciderunt, ex quo nunquam vel rarissime ad vitam redierunt. — Contra, quibus sudor non satis fluxit, aut repulsus fuit, mortui sunt vel *asphyxia* [82]) vel *tabe et decidentia membrorum* [83]) *vel paralysi et obnigratione manuum atque pedum* [84]). De explicatione horum verborum jam supra dixi [85]) nec dubitandum, iis verbis non paralysin tantum, quam proprie dicunt (nervorum motui inservientium) verum etiam ipsum sphacelum significari.

3. De cadaverum inspectione.

De mortuorum corporum investigatione nihil fere legitur, nisi quod a nonnullis refertur, obnigruisse et celeri putredine ea esse consumta. Sectiones vero cadaverum vel omnino non instituebantur a medicis (fuerunt enim initio saeculi XVI, in Germania praesertim, fere inauditae) vel quid docuerint, memoriae non est proditum. — Unus est Erasmus [86]), qui narrat, in Coleti cadavere, longinqua „*viscerum tabe*," quam ex sudore anglico contraxerat, defuncti, inventam esse „*hepar extremas fibras cirrhis prominentibus hirsutum.*" Haec vero sudori tribui omnino nequeunt [87]).

---

81) Conf. ex. gr. Castricus, p. 15. — Damianus, p. 35.

82) Rhomming, p. 254. — Anshelm, p. 477.

83) Schillerus, p. 306.

84) Klumpius, p. 204.

85) Pag. 555.

86) Erasmus, p. 435.

87) In „Dictionnaire des sciences médicales" sub artic. „Suette," cujus auctor Reydellet, Parisiensis, de corporibus sudore anglico mortuis leguntur haec:

„*Observations cadavériques.* Les corps des individus morts de la suette présentaient cela de remarquable, qu'ils tombaient immédiatement en putréfaction, et qu'ils étaient d'une fétidité insupportable; des lambeaux de parties molles se détachaient de la masse, et laissaient à découvert des surfaces gangrénées. Les phénomènes qui avaient lieu dans l'intérieur présentaient la plus grande analogie avec ceux du dehors; des taches gangréneuses étaient répandues çà et là dans toute l'étendue du tube intestinal; tout, en un mot, dans les corps offrait l'image d'une putréfaction commencée depuis longtemps et de cadavres exposés à l'air depuis un grand nombre de jours."

4. De sudoris anglici causis.

De causis sudoris anglici dicturus totum argumentum hujus capitis disponam ita, ut primum de coelo Britannico in universum, deinde de ratione coeli aërisque anno 1529 per universam Europam observata, denique de causis, quas praedisponentes dicunt, verba faciam.

a. De coelo Britannico in universum.

Omnis Britannia, Anglia praesertim et Hibernia, coeli ratione fruuntur insulis propria. Est vero communis omnium insularum, minorum imprimis et earum quae pariter a regione boreali et tropica distant, lex, ut propter maris undique eas circumfluentis aequalem fere tam aestate quam hieme calorem media quadam fruantur coeli temperie, pariter aliena a frigore hiemali et fervore aestivali, quales sunt earum regionum quae longe absunt a maris litoribus, licet sub eodem latitudinis geographicae gradu, quam dicunt, sitarum. Angliam vero prae ceteris coelo frui multo temperatiori atque aequaliori, quam ex situ, a regione boreali non ita remota, exspectes, Alexander ab Humboldt primum egregie docuit. — Media enim totius anni temperies Angliae propria est + 9 — 10° Cels. Linea vero mediam totius anni temperiem graduum 10 variis locis indicans, — (*Isotherma* ab Humboldtio vocata) ad verticem concavam ascendit in ipsa Londini vicinitate. I. e.: ex omnibus locis sub eodem latitudinis borealis gradu sitis Londinum longe calidissimum est.

Similiter Anglia gaudet et majori hiemis calore et minori aestatis fervore quam aliae terrae sub eodem latitudinis isothermicae (s. v. v.) gradu sitae. Apparent haec ex tabula sequenti de variorum locorum, sub eodem gradu isothermico (10°) sitorum, medio calori et hiemali (Isochimenas dicunt) et aestivali (Isotheras nuncupant.)

Cum vero unde hauserit ista, auctor non addiderit, magnopere verendum, ne vel quae ad sudorem in Picardia endemicum (i. e. febrem miliarem) pertinent, ad sudorem anglicum transtulerit, vel quae in cadaveribus sudore anglico exstinctorum inveniri a medicis *polluerint*, proprio Marte, ne quid desit in descriptione, adjecerit. —

		Latitudo geographica.	Isochimena.	Isothera.
Linea isothermica graduum 10.	Anglia	52°	+ 3°	+ 17°
	Hibernia	51°	+ 4°	+ 15°,3
	Ora Americae occidentalis	50°	— 0°,5	+ 22°
	Asia orientalis	43°,30	— 5°	+ 26°

Pluviarum vero annua multitudo, quae in Anglia observata est in regione occidentali et australi 35 pollices, in regionibus orientalibus et a mari remotioribus 24 pollices aequat. Sequenti tabula multitudines pluviarum annuarum Angliae cum aliis quibusdam Europae regionibus, imbrium copia notis, comparavi. Est vero

Multitudo annua pluviarum.	in Anglia austr.	in Anglia orient.	in Hollandia et Fr. Gallia occident.	ad Rhenum occident.	in Germania.	in Scandinavia	in Italia.
	35″	24″	24,7	22,2″	23,4″	30,6″	34,1″

ita ut Anglia ea quoque ratione omnes superet.

Causa vero cum temperiei illius summopere moderatae tum insolitae imbrium abundantiae est flumen per ipsius Oceani undas ingenti latitudine progrediens, ex sinus Mexicani, soli tropico vicini, ambitu ortum sumens. Fluminis illius oceanici aquae, ad litora occidentalia Europae latissimo impetu adpulsantes, imprimis ad Britanniam se convertunt, eique calorem praebent multo majorem, quam quae solis radii ei tribuere possunt, simul vero, imprimis in Anglia, summam efficiunt coeli humiditatem, cum quod ipsius terrae calor minor est maris calore, tum quod frigidi aëris fluctus Scotiae montibus provocati, celerrime efficiunt ut vapores aquae marinae condensentur nebulaeque et pluviae gignantur [1]).

Hinc egregia ista coeli anglici lenitas et humiditas [2]).

Quae omnia quid valuerint ad sudoris anglici quinquies per Angliam epidemici procreationem nescimus. Illud certe constat, coeli anglici humiditatem ad eam rem non sufficere, est enim sudor non endemicus sed epidemicus.

---

1) Hibernia multo minus pluviosa est quam Anglia.

2) Conf. H. F. Autenrieth, Uebersicht über die Volkskrankheiten in Grossbritannien. Tübingen, 1823. 8. — Caeterum sudoris epidemici auctor non meminit.

Praeter coelum terrae quoque Britannicae natura non rejicienda videtur esse. Est autem ea in universum plana, non ita multum super mare elata, campis pratisque, haud raro paludibus, praesertim in iis partibus, quae primum sudore afflictae sunt, Croylandia et Salopia [3]), conspicua. — Scotia vero et Hibernia montibus instructae sunt, quas quidem sudor, exceptis Scotiae oris [4]), non tetigit. Similiter Gallia, Hispania, Italia, quibus lues sudorifera pepercit, montosae sunt, Germania vero septentrionalis et orientalis, Batavia, Polonia, Russia etc. planae nec raro paludosae. Regnavit quidem sudor etiam in Germaniae media et occidentali parte, nec Helvetiam trnasiit; tamen constat, multo levius eas regiones quam mari adjacentes terras fuisse tentatas [5]).

b. De coelo Britannico annorum sudore insignitorum.

1486. Annus 1480 et qui eum secuti sunt quinque humiditate excelluerant. Sabrina fluvius ex. gr. magnas fecerat anno 1483 inundationes [6]), similia in Germania, Italia atque Gallia acciderant.

1507. De hujus anni tempestate nihil quod sciam ab aequalibus memoriae traditum est; humidam anni 1505 (sive 1506?) aestatem secuta esse dicitur hiems acerba.

1518. De tempestate anni 1518 nihil omnino legitur.

1529. Hunc annum humiditate egregium fuisse omnes testantur. Jam enim hieme (1528 — 29) imprimis vero sub aestatem in Anglia continuis imbribus fluviorum inundationes factae sunt. Praeterea nihil legitur.

1551. Hiems annorum 1550 — 51 lenitate, aestas a. 1551 calore et humiditate excelluit [7]), nebulis densissimis et graveolentibus malum undique per universam Angliam propagatum est [8]).

c. De ratione coeli anni 1529 in reliquis Europae partibus.

Eodem modo scriptores belgici, germanici etc. ad unum omnes

---

3) Conf. Guil. Camdenus, Britannia magna, s. Angliae, Scotiae et Hiberniae regnorum descriptio geographica accuratissima. Amstelod. 1659. f. p. 223.

4) Cajus, p. 325.

5) Stromerus ab Auerbach, p. 524. —

6) Magna ducis Buckingham aqua populariter vocata est, is enim illa ne regi Richardo III. bellum inferret, fuerat impeditus.

7) Cajus, p. 323.

8) Cajus, p. 366.

de ingenti coeli anno 1529 et humiditate et calore consentiunt. Exempli gratia Gundelfingerus nullam aliam morbi causam inveniri statuit, quam pluviosam annorum 1527 et 1528 conditionem [9]). Die 6. Aprilis 1529 circa Lipsiam tanta nivis copia coelo delapsa fuerat, ut genu altitudinem aequaret [10]). Bayerus, de humiditate anni 1529, tum cum scriberet (d. 4. Sept.) perdurante, verba faciens, addit, causam eam esse, cur Anglia imprimis, Zelandia ejusque generis loca complura a lue sudorifera tentata fuerint [11]). — Fluviorum inundationibus, ex. gr. Vistulae [12]), paludosas aquarum stagnationes factas esse Kröllius perhibet [13]). Imbres aestivales frigidus secutus est, teste Gassaro [14]), auctumnus.

Similia leguntur de Belgio et Italia. Oceani enim fuit inundatio, quae *„Hollandis, Zelandis Flandrisque damna longe gravissima attulit per aggerum diruptionem aquarumque perniciosissimam illuviem* [15]).“

Romam Tiberis eodem modo inundavit [16]).

De caloris vero aestivalis ratione auctores dissentiunt. Brelochsius (Halae Suevorum degens) [17]) et Chronica Norimbergensia *frigidam* fuisse aestatem referunt; plerique alii, Germaniae praesertim septentrionalis et mediae scriptores non modo aestatem calore excelluisse sed ver etiam anni 1529 referunt, ita ut v. c. in tractu Misniensi exeunte Februario violae florerent [18]). — Accuratissime ex omnibus Nicolaus ab Klempzen tempestatis vicissitudines eo anno observavit. Hoc enim teste coelum in Pomerania usque ad diem St. Johannis (24. Junii) calidum, tunc vero usque ad d. St. Bartholomaei (24. Augusti) nebulosum, pluviosum, frigidum fuit, ita ut fornacibus utendum Majoque similis esset aestas. Postea aër calidissimus et gravissimus, coelo semper obnubilato,

---

9) Gundelfingerus, p. 262. — Conf. Seidenschnur. l. c.
10) Heydenreich, p. 463.
11) Bayer, p. 45.
12) Lengnich, p. 468.
13) Kröll, p. 219.
14) Gassarus, p. 453.
15) Chronica Erfurtensia, p. 451.
16) Chronicon Salisburgense. p. 450.
17) Brelochs, p. 126.
18) Georg. Fabricius, p. 454. — Conf. Cyriac. Spangenberg, p. 456.

fuit [19]). — Iisdem fere verbis de Pomerania haec testatur Kantzovius, addens „ne id quidem fore mirabile in tanto coeli ardore, si nudi quoque homines sudarent [20])."

De ingenti damno tempestate ista Cereris et Bacchi frugibus illato omnes consentiunt [21]). Frumenta non in Germania tantum, verum etiam in Italia putruerunt [22]), vina ad maturitatem non pervenerunt. Inde in memoriam obsidionis, qua Turcae Viennam premebant, vinum hujus anni „turcicum" appellatum est [23]).

Addamus hoc loco, quae de aliis morbis eo tempore (i. e. anno 1529) obviis leguntur apud scriptores quos hic liber continet [24]). Locus primarius est Bayeri Cubitensis, qui morbos catarrhales, abortus, apoplexias, epilepsias, febresque cujusvis generis, foetorem denique oris frequentes et populares fuisse auctor est.

d. De sudoris anglici causis praedisponentibus.

Pandemicos solent id genus morborum popularium appellare, quorum decursus nec marium nec terrarum finibus circumcluditur, ita ut causae eorum vel in ipsius terrae visceribus latere, vel in aëris undique orbem terrarum circumdantis mutationibus positae esse credantur. Ejusmodi fuerunt pestis ista maxime horrenda annorum 1348 — 1360, quam „mortem nigram" (*den schwarzen Tod*) Germani dixerunt, Cholera deinde asiatica, nostra memoria universum paene orbem perterrens, Influentiae imprimis epidemiae, quae celerrimo cursu pervolare quasi terras mariaque videntur. Horum vero morborum sicut causa est universalis, licet incognita, ita et periculum omnibus commune.

Simillima fuit sudoris anglici ratio, ejus imprimis, qui anno 1529 permagnam Europae partem invasit. „*In omne hominum genus saevit*" (ita Damianus p. 22.) „*nulli parcit conditioni, nulli*

---

19) Nic. ab Klempzen, p. 441. — Conf. Giltzheim, p. 508.

20) Kantzovius, p. 518.

21) Conf. ex. gr. Nic. ab Klempzen. l. c. — Nuenarius et Frisius p. 107. Schiller, p. 282.

22) Henr. Mutius, p. 473.

23) Chronic. Norimbergense p. 447. — Conf. Croenicke van Vlaenderen, p. 430.

24) Plurima eaque gravissima de hac re habet Heckerus in libro: Der englische Schweiss. Berl. 1834.

aetati, nulli sexui [25]).“ — Etsi tamen nemo communi ista indole caruit, haud aequalis ea omnibus fuit.

Diversa primum apparuit *aetatis* ratio. De senum enim et puerorum immunitate fere omnes consentiunt. „*Senibus solis quandoque pepercit pia* [26]).“ Causam Schilldtelius affert incuriam aetati puerili propriam [27]). *Sexus* deinde diversitatem aliquid valuisse multi testantur. „*Cum magna ex parte omnes tum acerbissime viri malum sensere* [28]).“

Praecipue corpora firma atque robusta afflixit, teste eodem Cajo [29]) aliisque compluribus, imprimis Schillero [30]).

Varia quoque fuit ex temperamenti quod dicitur varietate ad morbum inclinatio. „*Alieniora fuerunt a morbo corpora melancholica* [31])“ — „*praeternavigavit etim magna ex parte atrabilarios et emaciatos corpore* [32]);“ contra „*potissimum apprehenduntur pletorici (et cacochymici)* [33]).“

Plurimum deinde vitae genus valuit. Saepissime enim correpti sunt „*crapulosi et ventriculosi* [34])“ — „*pressit et absumpsit imprimis bene saginatos, otio et quieti, alae et berae deditos* [35])“ (quos alio loco patrio sermone dicit Cajus „*good ale drinkers and Taverne haunters.*“) Moderati contra raro affecti sunt [36]). — *Pauperibus* Lubecae morbum pepercisse Giltzheimius auctor est [37]).

Singularissimum vero omnium est, quod in epidemia anni 1518, quae Caletum quoque in litore Francogalliae Angliae vicino corripuit, Angli tantum affecti, Galli vero, Scoti, in universum pere-

---

25) Conf. quoque Cajum, p. 354.
26) Schilldtel, p. 528.
27) Schillerus, p. 283. — Conf. Cajum, p. 327 et 378. — Zuiccaviae vero femina 112 annorum ista lue exstincta fuit. — Tyengius sexagenarios quoque afflictos vidit. p. 501. — Conf. Giltzheim, p. 510.
28) Cajus, p. 355.
29) Cajus, p. 377.
30) Schillerus, p. 283.
31) Cajus, p. 377.
32) Schillerus, p. 283.
33) Castricus, p. 11.
34) Schillerus, p. 283.
35) Cajus, p. 377. — Conf. Nidepontanus et Frisius, p. 164.
36) Cajus, 328. — Conf. Volg, p. 241.
37) Giltzheim, p. 510.

grini in Anglia degentes immunes fuisse dicantur. Insignis hac de re est locus Caji: *„Quidam Britanni, postquam in Gallia ad annum integrum commorati sunt, necdum ad plenum immutatus corporis habitus est, febre hac pestilenti quam mox correpti sunt.“ — „Exteris, qui nuper advenerant, molestus non fuit morbus iste.“ — „In Britannia Anglos contagio affecit, salvis Scotis atque Gallis, et ad Belgas producta nostros vexavit intactis Belgis* [38]).“ —

Tamen haec quoque exceptionibus non carent. Ex. gratia enim Ammonius, Italus, orator Venetus, sudario morbo periit [39]). — Causam ipse Cajus affert, luxuriosam, gulae ventrique deditam vivendi rationem, Britannis consuetam. Aliquid haec quidem valuerunt, quantum vero absit ut origines sudoris explicent, apparet ex epidemia anni 1529, universae Europae communi.

Nec minus singulare est, quod Cajus dicit: *„Fabros ferrarios atque coquos se foco tutasse suo* [40]).“ Incertum vero, quid in hac re experientiae, quid vetustae erga ignes in pestiferorum morborum profligatione fidei tribuendum. — Similiter ipsi morbo nonnulli fornacum pistoriorum ope medebantur [41]).

Denique non praetermittenda sunt, quae de sudore pestifero per contagium orto passim leguntur. Primarius locus est Jacobi Castrici [42]), qui ea etiam de re optime ita judicat, ut appareat, de contagio eum vehementer dubitasse. — Bayerus contra morbum, caeterum a se nondum visum, contagiosum dicit [43]).

Similiter Hamburgum morbus per contagionem allatus credebatur [44]); de hac autem re jam supra judicium tulimus [45]).

Accedit quod Heltus, testis satis idoneus, contagium prorsus negat [46]). Similiter Schilldtelius eorum, qui morbum non timent, immunitatem testatur [47]).

Dicendum denique est de quibusdam causis naturalibus, quibus

---

38) Cajus, p. 367 et 376.
39) Erasmus, p.
40) Cajus, p. 387.
41) Conf. quae infra de curatione leguntur.
42) Castricus, p. 11.
43) Bayerus, p. 50. Conf. Giltzheim, p. 509.
44) Anonymi Hamburg. p. 518.
45) Conf. p. 541.
46) Heltus, p. 526.
47) Schilldtel, p. 528.

Angli imprimis morbum gigni putabant. De hac re plurimus est Cajus, ex quo apparet, permultos malum incredibili tribuisse habitationum Anglicarum sorditici atque nequitiae [48]). Talia quid valeant ad morborum epidemicorum provocationem et propagationem inter omnes constat, at sudoris anglici origo ejusmodi rebus non explicatur.

Ejusdem generis sunt opiniones quas Cajus affert erroneae de *„alae et berae“* (cerevisiarum species in Anglia vulgares), lentium salsamentorumque in provocando morbo culpa [49]).

5. Quomodo hominum animos sudor commoverit.

Minime mirandum, vehementissime hominum animos subitaneo morbi impetu, ingenti aegrotantium multitudine, inaudita symptomatum natura atque insidia fuisse commotos. Aliquibus quidem vel jocandi materiem morbus praebuit [50]) at longe plures tanto horrore perculsi sunt, ut prae timore in sudorem inciderent [51]). Quantopere Angliam, anno praesertim 1551, sudor perterruerit, egregie describit Cajus [52]); in Germania anno 1529 quam maxime auctus est communis omnium de morbo metus libellis in usum popularem cum ex Batavia allatis, tum in Germania ipsa editis [53]). Ex quibus unus imprimis, a Frantzio, typographo Zuiccaviensi, editus, ceteros nequitia superasse legitur [54]).

Timor publicus eo praesertim auctus est, quod clerici (assentientibus nonnullis mediocris ingenii medicis [55])) facillime plebi persuadebant, propter peccata hominibus id malum a Deo infligi; nec defuerunt romano-catholicae fidei praecones, qui immiti coelitus eam pestem contenderent, ut Lutheranorum perfidia puniatur [56]). Satis credibile, magnopere ea re corroboratam fuisse clericorum auctoritatem [57]).

---

48) Cajus, p. 437.
49) Id. p. 373.
50) Fettich, p. 270.
51) Bayer, p. 43.
52) Cajus, p. 355.
53) Conf. ex. gr. Giltzheim, p. 516.
54) Lutherus, p. 434. — Tob. Schmidt, p. 465.
55) Er. gr. Volg, p. 240 et 242.
56) Reimar. Kock, p. 443.
57) Herm. a Kersenbroch, p. 449. — Conf. Engel, p, 458.

Nec postremo defuerunt, qui opiniones alerent de morbi causis vere superstitiosas, ex. gr. cometam et lunae deliquium [58]), imo scorpionis aliarumve stellarum conjunctiones nescio quas accusantes [59]).

Sat multi vero exstiterunt istorum errorum obtrectatores. Primus nominandus est Lutherus, qui fortiter, ut solebat, et strenue populum admonuit, ne prosterni se terrore malisque artibus sineret [60]). Similiter Schillerus aliique palam negarunt, divina ira malum esse provocatum [61]). Plurimum deinde profuerunt viri nonnulli, qui in Anglia morbum viderant curamque ejus idoneam didicerant [62]).

Prae caeteris laudandi sunt complures ex medicis, qui cum cordate populum adhortabantur, ne nefandis istis libellis de curatione morbi per continuos sudores fidem tribueret [63]), tum docendo et agendo ad curationem naturae magis convenientem excitabant.

Nominandi sunt ex his Bayerus [64]), Wild ab Ysni [65]), Cajus [66]), aliique complures, prae caeteris vero Zuiccaviensis incogniti nominis medicus, qui permultos regimine sudorifico propemodum exstinctos morbo eripuit [67]). — Laudanda itaque in universum medicorum est fides et sollertia; etsi non defuerunt hoc nomine indigni, qui Andoverpanorum medicorum quorundam, quos acriter vituperat Agrippa, exemplum secuti sunt.

Magistratuum denique curam morbo fuisse excitatam cum per se probabile tum a nonnullis scriptoribus memoriae proditum est. Senatus Gandavensis ex. gr. medicos ejus urbis convocavit, ut, quomodo morbo occurrendum et medendum esset, publice docerent. Missae sunt ea de causa literae ad Jacobum Castricum, Antver-

---

58) Tert. Damianus, p. 24.
59) Andr. Goldmeyer, p. 463.
60) Lutherus, p. 434.
61) Schillerus, p. 281.
62) Conf. quae infra de cura morbi dicentur.
63) Bayer, p. 42 et 53.
64) Ibid. p. 71.
65) Wild ab Ysni, p. 119.
66) Cajus, p. 334.
67) Cyriac. Spangenberg, p. 457. — Tob. Schmidt, p. 465. — Fortasse medico illi Stephano Rodtio nomen fuit. Ad virum enim hujus nominis virtute et humanitate insignem, sive secretarium senatus Zuiccaviensis, sive medicum, epistola Heltii missa est. Conf. p. 525.

piensem [68]). — Similiter a senatu Bernensi d. 18. Dec. 1529 regimen editum est, cujus fragmenta leguntur apud Stettlerum [69]).

6. Judicia scriptorum de sudoris epidemici natura.

De natura morbi alii scriptores uberiores alii breviores sunt; nonnulli iique caeterum praestantissimi hanc rem vix attingunt. Omnes vero in eo consentiunt, ut morbum pro specie febris „*pestilentialis*“ i. e. ex vera hujus vocabuli interpretatione epidemicae habeant.

Varietas opinionis in eo potissimum versatur, ut quaenam sit ea species disputetur. Plurimi vero in eo conveniunt, ut febrem dicant „*putredinalem, spiritus imprimis infestantem* [70]),“ eaque de causa „*peracutam* [71]).“ —

Alia est quaestio, eaque a scriptoribus accuratissime agitata, quaenam sit sudoris epidemici cum ipsa peste necessitudo.

De hac re fere omnes ita statuunt, ut sudorem a peste subtiliori ratione „veneni,“ spiritus praecipue infestantis, diversam, eaque de causa non per apostemata et bubones, pesti genuinae proprios, sed longe facilius et celerius per sudores eliminari putent. — Primarii de hac re loci sunt Castrici [72]), Bayeri [73]), Euricii Cordi [74]), Nuenarii et Riquini [75]), Klumpii [76]), Kröllii [77]), Caji [78]), Foresti [79]). — Herbertus, historicus, optime de morbi natura ita sentit, ut ejusdem indolis eam fuisse statuat cum febre ista petechiali, quae anno 1529 per Italiam late vagata est, Gallis imprimis, Neapolin obsidentibus, funesta [80]). — Idcirco com-

---

68) Jac. Castricus, p. 9.

69) Stettler, p. 475. — Conf. Anshelm, p. 477.

70) Bayer, p. 49.

71) Wild, p. 127.

72) Castricus, p. 6 et 10.

73) Bayer, p. 44. et 69.

74) Euric. Cordus, p. 78.

75) Nuenare et Riquinus, p. 102.

76) Klumpius, p. 195.

77) Kröll, p. 220. — Schillerus (p. 282) pestilentem aëris corruptionem eo imprimis putat indicari quia „*aves sub arboribus peste correptae inveniebantur, abcessibus sub ascellis cicerum instar non carentes.*“ De quo quid judicandum sit, jam Grunerus l. c. monuit.

78) Cajus, p. 321.

79) Forestus, p. 502. „*Ab omnibus praestantissimis quibusdam medicis determinatum est, pestilentem putridam fuisse.*“

80) Herbertus, p. 418.

plures non dubitarunt, quin pestem veram, sudorem secuturam, praesagirent [81]).

7. De sudoris anglici curatione.

De cura prophylactica perpauca leguntur. Complures *fugam* commendarunt, commune in morbis pestiferis remedium et in Anglia quidem satis probatum. Scotia enim et Hibernia, exceptis regionibus mari adjacentibus, immunes fuerunt. Tamen id quoque saepe *„minus ex sententia cecidit, compertumque est, laboriosius multo quam ad salutem commodius esse* [82])." — Medici Francofurtani diaphoresi arte producta morbum praecaveri perhibent [83]). Multo tamen verosimilius, quod Schilldtelius dicit, „multos diversis praeservativis frustra usos esse [84])." — Idem permultos aegrotos *„antidotis"* periisse refert; horum vero, theriaci imprimis et spirituosorum usum jam Bayerus dissuaserat [85]).

Ipsius autem morbi curatio in universum duplex fuit. Altera ex regiminis sic dicti Batavi praeceptis, curatio diaphoretica, altera quae Anglorum secuta est methodum, curatio exspectativa s. temperans.

a. Regimen batavum s. diaphoreticum antiquitus receptum fuit et vulgare in Batavia et Germania, praesertim inferiori, *„libellis erroneis, ab indoctissimis hominibus, qui in ejusmodi lue curanda peritiam et experientiam jactabant, in vulgus emissis* [86])." — Descriptio ejus methodi accuratissima legitur apud Spangenbergium [87]). Prima ejus lex fuit sudandi per horas XXIV, haud raro plures etiam [88]), necessitas. Ita quidem ut aeger, vestibus minime liberatus, lecto contineretur, culcitris insuper ejusque generis obtegumentis quam plurimis obtegeretur, ut ne minimum quidem mo-

---

81) Nidepontanus et Frisius, p. 177. — Kröll, p. 220.

82) Cajus, p. 354. — Stromerus ab Auerbach quoque mitiorem fuisse morbum in regionibus a maris litoribus remotioribus, i. e. elatioribus, testatur (p. 524).

83) Consil. medic. Francof. p. 183.

84) Schilldtel, p. 531.

85) Bayer, p. 64. — Totus hic locus permultum confert ad curae prophylacticae eo tempore vulgaris cognitionem.

86) Forestus, p. 502. Is locus de ea hominum indoctorum nefanda industria primarius est.

87) Cyriac. Spangenberg. p. 456.

88) Giltzheimius ex. gr. per horas XXVII sudavit. — p. 514.

vere se posset. Neque ea suffecerunt. Haud raro enim obtegumenta consui, astantesque se super lectum projacere, ne quid aëris ad miserum accideret. Fornacum deinde ope conclave calefieri, januae atque fenestrae arctissime occludi, nec siti exhausto potus quid porrigi [89]). Cum vero aeger mori se aestu vociferaret, delirio tales quaerimoniae tribui magisque etiam is opprimi [90]). — Satis credibile, innumeros ita cruciatos non morbo sed cura periisse, nec vulgares tantum homines, sed principes etiam talium *„carnificum“* opera *„jugulati sunt* [91])." — Memoriae quoque proditum est, aliquos balneo vaporis, imo fornace pistorio [92]) cum eventu usos esse.

b. Methodus anglica, exspectativa s. temperans. In Anglia curatio diaphoretica jam primis sudoris epidemiis rejecta atque cum meliori commutata est. In Belgio quoque et Germania a permultis iisque praestantissimis medicis jam ab initio epidemiae anni 1529 damnata est. Plurimum quoque profuerunt viri aliquot Angli et Germani ex Anglia in patriam redeuntes, melioris curationis gnari. Giltzheimius v. c. mercatoris anglici meminit, qui Lubecae Giltzheimium ipsum aliosque permultos illa methodo restituerit [93]). Similiter Mulhusi, Alsatiae oppido, juvenis ex Anglia redux, (Simoni Grässlin ipsi nomen fuit), permultis profuit [94]).

Praecepta medica de curatione sudoris secundum methodum anglicam leguntur potissimum apud Castricum (qui egregie monet, universam curationem similem esse eae, quae *„variolis et morbillis“* conveniat, sed sollertia etiam majori adhibita [95])), Damianum [96]), Bayerum [97]), Rhommingium [98]), Gundelfingerum [99]), Cajum [100]) aliosque complures. —

---

89) Joh. Lange, p. 496.
90) Conf. imprimis. Cornelius Gemma, p. 498. — Giltzheim, 511.
91) Leonard. Fuchs, p. 494. — Conf. Lange, p. 495.
92) Nuenarius, p. 100. — Id. p. 114.
93) Giltzheim, p. 510. 514.
94) Jac. Henr. Petri, p. 475.
95) Castricus, p. 13.
96) Damianus, p. 35.
97) Bayer, p. 54. seqq.
98) Rhomming, p. 253.
99) Gundelfinger, p. 264.
100) Cajus, p. 395.

Ejus scilicet regiminis ratio est ut aegroti, vestibus liberati, lectum petant [101]) nimiis plumis ante remotis [102]). Medicamentis vero non utendum, quamplurimi enim sine iis restituuntur [103]); praesertim venae sectio et laxantia (auxilia Galenicis medicis promtissima et quasi perpetua) quam maxime damnantur, legitima enim morbi crisis, quae fit per sudorem, iis perturbatur et opprimitur, inde vero partium internarum, cordis imprimis, oriuntur affectiones quam maxime periculosae [104]). — Comiter contra cum aegroto confabulandum, ne timor eum capiat [105]) neque in somnum, quo nihil periculosius, incidat [106]). Sitienti deinde potus non denegandus [107]) nec ciborum appetentiae omnino resistendum est; cibi enim denegatio non minus habet damni, quam nimia stomachi repletio [108]). — Stadii vero sudatorii prima lex est, ut qualis sit aeger, quibus viribus instructus, quanta morbi vehementia judicetur. Non enim „*omnes eadem linea metiendi sunt* [109]).“ — Accuratissime haec quoque tractantur a Cajo. Hoc enim auctore „*non tam quid humores fundat et corpus laxet, videndum est, quam quid solutum liget et laxum stringat aestimandum* [110]).“ Itaque „*si natura fluit sudor, proxime est necessaria patientia, tum naturae locum dare, conatus ejus non impedire, vires non frangere, eam motu non defatigare* [111]). Ergo iis, quos leviter morbus tetigit, vel unius horae sudatio sufficit, aliis per quinque, sex, nonnuliis per viginti quatuor horas sudandum est [112]). Satis vero sudatum esse apparet

101) Petr. Wild, p. 121. — Consil. med. Francofurt. p. 181.

102) Regimen Norimbergense, p. 227.

103) Regimen Vitebergicum, p. 233.

104) Rhomming, p. 254.

105) Klump, p. 210.

106) De summo dormiendi periculo omnes consentiunt. Conf. imprimis Castricus, p. 13. Damianus, p. 36. Consil. medicor. Francofurtens. p. 182. Regimen Norimberg. p. 227. Volg, p. 249. Giltzheim, p. 514. Prohibere vero somnum studebant variis artibus, v. gr. tibiarum cantu ejusque generis aliis, barbae capillorumque tractione, praecipue odoramentis, epithematibus et lotionibus frontis aromaticis.

107) Bayer, p. 55.

108) Nuenare et Riquinus, p. 115.

109) Castricus, p. 15.

110) Cajus, p. 393.

111) Id. p. 395.

112) Klump, p. 211. — Schiller, p. 306. Cajus, p. 400. — Stromer ab Auerbach, p. 526. aliique complures.

cum „*totius corporis levitate et alacritate, omniumque partium mediocri modo* [113])," tum manuum, pedum totiusque corporis detumescentia [114]).

Quam maxima vero cura adhibenda est, ne aeger delirio et sopore capiatur. Hoc si accidat viris robustis opus est, qui lecto eum contineant [115]). Sopore vero correpti fere omnes pereunt; Damianus tamen monet, ex hoc etiam aliquos fuisse revocatos epithemate aromatico quod capiti impositum est [116]). — Quomodo autem sudore per repetita intervalla iterato curandus sit aeger, optime Cajus exposuit [117]).

Qui feliciter morbum superarunt ex praecepto Rhommingii valde laudabili tractandi sunt sicut *puerperae* [118]). Sudor leniter abstergendus, tunc caute in alium lectum aeger transferendus [119]) tutoque ei per aliquot horas dormiendum est [120]). Quamquam ante tertium diem e cubiculo non egrediendum, periculum enim, ne diarrhoea oriatur, saepissime letalis [121]).

Brevissima denique de prognosi dicenda sunt. — Permultum valuisse curationis genus, jam saepe dictum est [122]). Credendum tamen, quod Damianus monet, mortuos interdum esse qui bene tractabantur, servatos, qui prorsus neglecti fuerant [123]). Ita ex. gr. fuerunt, qui inter sudorem sese denudarent, sine damno [124]). — Ex infaustis vere morbi signis sunt sudoris defectio aut suppressio [125]), deliria et somnus ante justum criseos tempus, contra urina multa, manuum pedumque circa octavam vel nonam horam detumescentia compluraque id genus alia, de quibus satis disputatum est, bona sunt.

---

113) Cajus, p. 402.
114) Rhomming, p. 256.
115) Giltzheim, p. 516.
116) Damianus, p. 37.
117) Cajus, p. 402. Conf. quoque Volg, p. 249.
118) Rhomming, p. 257.
119) Gundelfinger, p. 54. aliique complures.
120) Damianus, p. 37.
121) Cajus, p. 404.
122) Conf. Nuenare, p. 97.
123) Damianus, p. 25.
124) Castricus, p. 13.
125) Damianus, p. 35. — Gundelfinger, p. 263.

8. De sudoris anglici natura.

Sententias scriptorum aequalium de morbi sudatorii natura supra recensui; jam, quid ipse ea de re judicem, dicendum est breviter. Est enim et ab hujus libri argumento alienum, et ab Heckero ita tractatum, addi ut nulla vel perpauca queant.

Primo inter morbos s. d. pandemicos referendum esse sudorem, eum certe, qui anno 1529 late per omnem Europam vagatus est, inter omnes constat. Pesti, febri flavae, Cholerae imprimis orientali sudor anglicus similis creditur eo, quod, sicut illae Aegypto, Americae orientali et Indiae propriae et vernaculae sunt, ita hic anglicus jure nominetur. Ab illis tamen maximopere morbus sudatorius differt eo, ut ne Angliae quidem sit consuetus atque endemicus, sed quater tantum eam insulam epidemice perlustraverit. Itaque quid in Aegypto excitet pestem, quid Choleram apud Indos, obscurum est, quid Anglis sudorem generaverit, maxime reconditum, quid semel super omnem fere Europam sudorem effuderit, prorsus inexplicabile. Unum est quod constat, coelum anno 1529 praeter omnem consuetudinem in universa Europa humidum. Egregie Hermannus Nuenarius de ea re monet, coeli ista intemperie *„Britannicum quendam aërem in Germania suscitatum fuisse* [126]).“

Altera est sudoris similitudo cum Influentia, morbo prae caeteris pandemico, cum patrum nostrorum memoria, tum nostra aetate frequenti. Uterque enim subito oritur, fere omnes afficit, celerrime decurrit, paucos denique interimit. Accedit, quod Influentia inde ex saeculi decimi sexti initio pristinum ex oriente ad occidentem iter ita immutavit, ut nonnunquam inde a partibus Europae borealibus ad australes vergerit. — At symptomata utriusque morbi minime sunt similia. Influentia enim catarrhalis generis esse creditur, pulmonibus imprimis funesta. Sudoris anglici imago prorsus diversa est.

Tertius est morbus symptomatum ratione sudori simillimus: Febris miliaris, nonnullis Francogalliae provinciis, Picardiae imprimis, Lombardiae quoque et Pedemontio (paludosa soli natura insignibus) endemicus, Bavariae quoque nonnullis provinciis Rhenique litoribus haud incognitus, saeculo decimo sexto, septimo et octavo etiam aliis Germaniae partibus visus, inde a sudoris anglici

126) Nuenarius, p. 99.

apparitione denique sine dubio frequentior. Febris haecce miliaris, a febrium intermittentium genere cum causis tum decursu non ita aliena, praesertim extremitatum doloribus, cordis affectione, endocarditidis signa saepe exhibente, insignis est, sudore deinde terminatur et singulari cutis efflorescentia; per vices postremo et intervalla decurrit. Quae omnia quantopere conveniant cum sudoris anglici natura non est cur exponam. Hoc tantum interest, ut sudor multo gravius, celerius et plerumque uno impetu decurrat. Veritati igitur simillima de sudoris anglici natura opinio videtur haec esse. Quam maxime accedit morbus sudatorius ad febris miliaris similitudinem, ita ut febris miliaris acutissima dici possit. Haec vero non solum causarum, sed et symptomatum ratione cum febrium intermittentium et rheumaticorum morborum genere quam maxime conjuncta est. Accedit, quod nostro quoque aevo non defuerunt febris miliaris epidemiae sudori anglico simillimae. Quarum celeberrima est sudor Rottingensis anni 1802 a Sinnero descriptus [127]), deinde minus cognita epidemia Sulzfeldensis anni 1834, quam breviter Fuchsius delineavit [128]).

Haec sufficiant. Videant posteri, quid de hac re gravissima et difficillima judicandum sit. Multum enim adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praecludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi.

---

127) Joh. Mich. Sinner, Darstellung eines rhevmatischen Schweissfiebers, — welches zu Ende Nov. 1802 in — Röttingen — herrschte. Würzburg 1803. 8.

128) C. H. Fuchs in: Hecker's Annalen für wissenschaftl. Med. Vol. 29. 1834. II. p. 253.

Plura leguntur apud hosce: Hecker, D. engl. Schweiss. — Idem in: Encyklopäd. Wörterbuch der med. Wissenschaften, sub articulo „*Sudor anglicus*," p. 519. seq. — H. Haeser, Lehrbuch der Geschichte der Medicin und der Volkskrankheiten. Jena, 1845. 8. p. 814. seq. etc. —

Corrigenda.

Pag. 49. linea ultima pro Klemzen legendum: Klempzen.
— 79. Adnotatioin litera H. subscribenda est.
— 125. secunda adnotationis linea post vocem gayselen adde seyn.
— 127. linea 32 pro schunder legendum: schnuder.
— 147. — 5 deleatur comma (,).
— 374. — 20 legendum valetudinarius.
— 428. deest libri a Guicciardino editi inscriptio. Inscribitur vero: Francesco Guicciardini, Della Istoria d'Italia libri XX. Venez. 1738. fol.
— 444. — 11 pro schlelden leg.: schelden.
— 447. — 14 pro Nünberg leg.: Nürnberg.
— 448. — 3 pro 1539 leg.: 1529.
— 530. — 9 pro aëre se in leg.: se in aëre.

Apud Frideric. Maukium, Jenensem, prostant:

DISQUISITIONES

DE

STRUCTURA ET FUNCTIONIBUS CEREBRI.

EDIDIT

BENEDICTUS STILLING,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE DOCTOR, ACADEMIAE REGIAE ARTIS MEDICAE BELGICAE BRUXELLANAE, SOCIETATIS IMPERIALIS REGIAE MEDICORUM VIENNENSIS, COETUS MEDICORUM HAMBURGENSIS, SOCIETATIS SCIENTIARUM MEDICARUM ET NATURALIUM BRUXELLANAE, COLLEGII GOTTINGENSIS RES PHYSICAS ET MEDICAS COLENTIS, SOCIETATIS SCIENTIARUM NATURALIUM BRUGIENSIS SODALIS EPISTOLARUM COMMERCIUM SUSTINENS, MEDICUS ET CHIRURGUS APUD CASSELANOS.

ACCEDUNT VIGINTI TABULAE ICONUM LITHOGRAPHICARUM ELABORATARUM, ET DUAE TABULAE ADUMBRATARUM.

Untersuchungen

über den

BAU UND DIE VERRICHTUNGEN DES GEHIRNS.

Von

Benedict Stilling,

Doctor der Medicin, Chirurgie und Geburtshulfe, der Académie royale de médecine de Belgique zu Brussel, der kaiserl. königl. Gesellschaft der Aerzte zu Wien, des ärztlichen Vereins zu Hamburg, der Société des Sciences médicales et naturelles zu Brussel, des Göttingischen Vereins für Natur- und Heilkunde, der Société des Sciences naturelles zu Brugge correspondirendem Mitgliede, practischem Arzte und Operateur zu Cassel.

Mit zwanzig Tafeln lithographirter Abbildungen, und zwei Umriss-Tafeln.

Forma: Folio imper. max. Charta: Velin satinée. Pretium: 18 Thlr.

